HORÆ SVCCISIVÆ

SIVE

ELVCVBRATIONES

D. DIDACI BENAVIDII, & DE LA CVEVA Comitis S. Stephani, & Cocentaniæ Marchionis Soleræ, &c.
In præſentia Proregis Nauarræ;

STVDIOSA CVRA

D. FRANCISCI, Nauarum Marchionis, & D. EMMANVELIS BENAVIDII Authoris filiorum collectæ.

AD

ALEXANDRVM VII. PONT. MAX.


HORÆ
Succisiuæ
D.Didaci Benauidij
Comitis Sancti Stephani
Studiosa cura
D.D.Francisci Marchionis
Nauarum et Emanuelis
Benauidij Filiorum
Congestæ
Ad
ALEXANDRVM
VII
P. M
LVGDVNI
Sumpt. Ioannis . Coronneau
Bibliopolæ: Bayonnensis . 1660

ALEXANDRO VII.

PONT. MAX.

SVCCISIVAS *hasce Horas, seù Elucubrationes, quibus Parentis nostri Genius (partem solido de die, vt aiunt, aliquando cum demeret) mitioribus Musis litauit, tibi vniuersali Orbis Christiani Parenti datum, dicatúmque imus. Siccine cum Sinate aquæ cotylam audemus offerre ? Tuus in causa est in literis prolixus fauor; vt quemadmodum maximis quibusque studiorum fœtibus tutelaris accedit; tenues haud secius fouet, ac patrociniô circumuallat. Et in primis quicquid expolito calamo fluit ad te confluit. Habent iam aureis istis tempo-*

ribus aurea verba pretium. Quid? quod dum Pontificia inter Aulaa Musas collocas, eas phaleratas prædicamus. Verùm an opellæ istius frontem Nominis tui Beatissimo splẽdore illustramus, vt te præconijs lustremus? Apagite istam mentem. Quibus grande Sophos; & quibus non alter remus radit aquas; alter vero arenas maximi Alexandri per laudes soluat. Nos ideò ad pedes illam tuos apponimus, vt si quid pedestris, aut humilis (seu quia è prælijs ad prælum traductum, atque ideò inlaboratum: seu quia extemporali calamo ad nostram datum sit à Parente institutionem in ea offenditur) tuis, quod non stylo, assequatur auspicijs. Porrò alijs ad hoc vrgemur rationibus. Sit ille Genitor, illis literarijs pensis ad Christi Vicarium Ductor, extitit quibus Doctor: & liberos suos, quà vinctâ numeris oratione Apostolicæ nectat Sedi; quà

cultis

cultis elucubratiunculis Romani Pontificis cultores reddat: quin etiam Catholicæ pietati Musarum flosculis pubescentes nostræ ætatis annos deuoueat. At nos illius Alexandri ante oculos sistat, qui dum, vt constans fama est, Gasparum Bracamontium, Comitem Peñarandæ, conspicuum ac fælicissimum nostri Regni Ministrum, præsentis sæculi Heroem, Proregem modò Neapolitanum, & nobis cùm à Bracamontia; tùm à Dauilensi Domo duplici cognationis vinculo coniunctum in oculis fert, nostra videtur, vel hoc, cœpta inaugurare. Causas Beatissime Pater habes consacrati Opusculi, quod ipsum, & nos vna nunc donamus. Felix illud si in manus & nos in animum parte aliqua admittas.

Beatitudinis Tuæ,

Sub iectissimi Cultores, FRANCISCVS, & EMMANVEL BENAVIDII, Fratres.

LECTOR.

SISTE in Propilæo, paucis te volumus à Patre editas, à filiis collectas elucubrationes Lectione aggredere. Non ſapere Lucernam, in qua eas conſtituimus Luce fatemur. Vnde laudem ais? Cùm illius ab inſtitutione vitæ non ſolùm armis decorata; ſed etiam literis armata: tùm quod noſtras pleræque illarum Muſas vellicarunt. An ne parum galeata Minerua? an ne vulgare ab illo in primis ſuſceptum eſſe informandi negotium, qui Parens? Hominis in hoc libello imaginem damus, & Genitoris, & Magiſtri, & Militaris, & cui non caperata fronte expolitior acceſſit literatura. At Muſas ad haſce mitiores, Mathematicum, Geographicum, Hiſtoricum nobilioribus terrarum Orbis cumulatum linguis ſe contulit. Quibus Regiæ Aulæ adminiculis acceptus, & iam Romani Senatus Purpurato illi, Regis Fratri, Hominum delicio, quem Superi iam habent, Ferdinando ſtudiorum

rum

rum accitus coadiutor adoleuit charus. Inde in Bella traductus apud Insubres, quà suo Principi; qua geniali Apollini stipendia fecit, si laureatam in Vercellas Reguli Leganesij expeditionem, (quam ex oculis traduxit ad calamum, & nos manibus tuis nonnullis alijs cum carminibus sistimus) poëmate complexus est. Mox Regis iussa in Extrema-Duri contra Lusitanos illius bellicam addixerunt operam, quæ Prouincia apud Gallæcios, & in præsentiarum apud Nauarros, cum quibus iam sextum excessit annum Proregis muneri anteiuit. Vix habenda Fides! Ab his sane publicis quibus distinebatur occupationibus, nonnihil temporis, quo Institutorem nostrum ageret, impetrauit: hinc variorum epigrammatum Schedæ; hinc elogia, hinc Politicæ obseruationes facem nostro calamo prætulerunt: Hæc collegimus, hæc quibus informati, formis dedimus. Sic Progenitoris memoriam (Sacris auscultantes Oraculis, quorum verba: *Mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam, & vitam æternam*) In posterum recentaturi. O verè Maiorum famosæ imagines,

quæ

quæ calamo denigrantur ! Ecce tibi, quæ Typorum ratio. Quæ Patrocinij accipe. Ad ſacrarium Pontificiæ Alexandri VII. Maieſtatis Opellam ſiſtimus, vt Genitoris in omnibus menti ſuffragaremur, qui nos, vel minima quæque ſua, vt Catholicæ, & Hiſpanæ trophæa pietatis ad Apoſtolicæ Sedis veſtibulum collocare præſcripſit. Verùm ſi Pompeius Circo illi ſuo, vt turpitudinis notas obduceret Veneris ſuperimpoſuit ædem : non vt turpitudinem (cum & ſi Veneres, non Venerem elucubrationes iſtæ ſectari profiteantur) ſed vt Menda aliqua ne aures abradat ſonoro Numini, ac Nomini Antiſtitis Maximi eas ſubſternimus. Accede igitur niſi Plauſor, nec Cenſor, & VALE.

D D. FRAN

D.D. FRANCISCVS RVIZ DE PALACIOS, in Decretis Doctor, ac in Spiritualibus, ac Temporalibus Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi D. Epiſcopi Pompilonenſis Vicarius Generalis, &c.

PRÆLO mandandum Librum, qui inſcribitur: *Horæ Succiſiuæ* Didaci Benauidij de la Cueua, *Comitis Sancti Stephani ſtudioſa cura* D. D. Franciſci *Marchionis Nauarum*, *&* Emmanuelis Benauidij *filiorum congeſta*, ad nos qui ordinaria Vicarij fungimur poteſtate præſentatum fuit, vt iuxta S. Trident. Concilij decreta, eum ad Catholicæ Fidei, caſtigatorum morum normam penſitare valeamus; at cum minimè per alias curas nobis liceat huiuſmodi perficere munus, vobis R R. P P. *Ioſepho Moreto*, huius Regni Nauarræ Hiſtorico, & *Andreæ Salo*, Sacræ Theologiæ Profeſſori in hoc Collegio Societatis IESV, Pompilonenſi negotium damus eum accuratè examinandi, quorum penes approbationem facultas maneat prodendi ex Typis. Datum Pompilone in Epiſcopali Palatio, 1. Kal. Februarij, Anno 1660.

Doctor Don FRANCISCVS RVIZ DE PALACIO.

Mandato Domini Vicarij Generalis.

D. PETRVS DAOYZ & AGORRETAS.

IOSEPHI

IOSEPHI MORETI POMPELONENSIS, è Societate IESV, Regni Nauarræ Historici Censura.

IVssv *D. Francisci de Palacios*, Illustrissimi D. Episcopi Pompelonensis Vicarij Generalis vidi, perlegique *Horas Succisiuas, Præcepta Politica, Elogiaque Excellentissimi Principis* Didacij Benauidij de la Cueua, *Comitis S. Stephani*, Nauarræ Proregis clarissimorum liberorum Francisci Marchionis Nauensis, & Emanuëlis studio in vnum Librum congesta, ac velut in fasciculum colligata. Et quam hic purum, ac suaue halat ex diuersis flosculis consertus è medio Parnasso, & lectissimis areolis decerptis? Sanè quod Galliæ olim gloriari licuit sub Francisco Rege, transgressas Alpes Musas, licebit Hispaniæ transgressas quoque Pyrenæum. Sed sub Francisco Rege peregrinæ Gallis Musæ videri potuere, viris doctissimis ex Italia accitis. In Didaco Benauidio domi natas Hispania lætabitur. Et quam in vnum velut corpus concinnè compacta sunt cum puris, nitidisque Carminibus præcepta regendi? Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci. Nihil his versibus dulcius, vtilius nihil præceptionibus his. Altera me aure Apollineæ lyræ sonos, altera Themidis responsa captare mihi videor. Sed non omittenda paterna liberorum pietas, qui domi natos fœtus, eodémque ex patre genitos germana charitate complexi sunt, & quo in lucem ederentur, commodauere obstetricantium manum. O egregiam filiorum indolem, qui, cum paternam hæreditatem optent, quantum natura patitur, seram, potiorem eius partem adire statim gestiunt Patre superstite, & annuente, quippe qui nouit vnam sapientiam esse, quæ impensa largitori non perit. Nihil in hoc opere esse à fide Orthodoxa alienum dicere

superua

ſuperuacaneum duxiſſem , cum Benauidiæ familiæ nomen præfixum in fronte ſit, quæ in auita Giennenſi,ac totius ſæpe Bethicæ præfectura contra furentes Mahometicæ perfidiæ acies toties armata ſtetit. Sed quia hoc à me iudicium ex præſcripta edendorum librorum forma exigitur , ita cenſeo, teſtorque , ac prælis , & luce publica digniſſimum iudico. Pompelone in noſtro Collegio Beatæ Virgini Annunciatæ ſacro 8. Idus Februarij, Anno 1660.

IOSEPHVS MORETVS.

Reuerendi

Reuerendi Patris ANDREÆ SALO, *Soc.* IESV, *Sac. Theologiæ Professoris, Censura.*

GRATVM omninò onus mihi imposuit Illustrissimi Domini Episcopi Pompelonensis Vicarius generalis, vt scilicet viderem Horas Succisiuas, id est varij argumẽti poëmata, elogia & oracula politica Excellẽtissimi Domini Comitis Sancti Stephani, Regni istius Nauar ræ Pro-Regis, cura filiorum D. Francisci Marchio nis Nauarum, & D. Emanuëlis Benauidij prælo accin ctas. Vidi autem accuratè, & auidè iterumque perlegi, nec qui dpiam ijs vidi fidei aut moribus dissonum. Cuncta fidem moresque authoris probant, legentium firm abunt & instruent. Quid ni enim? Poëtic o, Veneres cum sermonis & cogitatuum castimonia nouo connubio sociauit, ne eloquij nitorem, quærens deinceps adeat veteres impurasque Cisternas. Diuorum triumphos religiosè, Heroum facinora non inuidè prędicat, celsioribus erectis pegmatibus, perennaturis ingenij monumentis. O quam idoneè in Principem Benauidium cadunt quæ de Capitone scripsit Plinius: *Clarissimi cuiusque vitam egregijs carminibus exornat; scias ipsum pluribus virtutibus abundare, qui alienas sic amat.*

Plin. l. 1. epist. 17.

Monitis politicis ijsque sapientissimis ad sacri instrumenti, & diuini regiminis normam exactis, & religionem & politicam suis sedibus restituit obstructo ore loquentium mendacium, vt politia pietatem sociam non ferat. Et quod vel in imaginaria illa sua Republica desiderabat Plato, vti ad conciliandos vir-

tuti

tuti amores honesta eius facies oculis cerni posset, hoc in Regio-Catholica instructione sua assequutus est Pro-Rex noster. Ratione mētibus, digito oculis demōstrat quæ docet, monita opere roborando. Ipse scriptorum suorum expressus index, spiransque imago. Quod de Epiphanio Ennodius de Principe nostro fidenter dicam: *Paginam illum sacram pingere actibus quam egisset.* Pingit quidem ornatque egregie nouis commentationum excultissimarum coloribus, sed fælicius actibus. O summam documentorum commendationem & fidem! actibus consonant. Et hæc Princeps Regio sanguine, munere, splendore latè fulgens? Facessat ergo Diogenes aiens: *Fortunam numquam componere mentem cum nobilitate sed tantum istius demere quantum illius addit.* Prodeat nobilitatis assertor nobilissimus Comes Benauidius, mentis diues bonæ iuxtà ac magnæ. Nec enim ille summis labris, quod sapientioribus Nobilium fere contingit, eruditionem gustauit: *Sed toto te satiasti Aonij fonte.* (Aurelij verbis ad te sermonem conuerto Comes inclite) *Vehemens disputator in Libris, amœnus declamator in fabulis, verborum nouellus sator, æquiparaueras meritis quæ lectitaras authores.*

Cic. lib. 1. offic.

Ennod. in vita Epiph.

Diogen.

Aurel. lib. 2. epist. 3.

Hæc quamuis magna miraque in Principe viro, exploratiora tamen sunt, proprioraque Principi nostro quam quæ meo in illum amori etsi magno (id enim diffiteri nec volo, nec valeo) tribui debeant. Quid ni autē suspectum esse suspicer amorem meum in Comitem Benauidium quo nimirum Regiæ scholæ Matritensis alumno olim delectabatur Societas nostra, nunc parente ac Patrono optimo, indulgentissimo fruitur. Macte hac gloria, Princeps Excellentissime, nobilibus ignobili inscitiæ nota dudum denigratis, & clipeus, & calcar esto. Quos tui exemplo ad sapientiæ limina

Dyna

Dynaſtas pelliciebas, his collectis & in communem vſum datis ſapientiæ fructibus,ad penitiora eius adyta inuita. Pellexiſti verò ſane quam plurimos, ac imprimis Sereniſſimum Cardinalem Hiſpaniæ Infantem Ferdinandum Auſtriacum immortalis memoriæ etſi heu nimis immatura morte ereptum Principem, qui ſingularem tuam eruditionem demiratus, ſtudiorum Socium & adiutorem te ſibi adiunxit, poſtulans vt eodem ordine diſciplinas ipſi traderes quo ipſe in ſcholis Societatis exceperas, (vera ſcilicet Caroli Auſtriaci Imperatoris Maximi Soboles qui ſimili ratione à Sanctiſſimo Franciſco Borſia tum Gandiæ Duce cognato tuo Matheſis præcepta hauriebat) adijcienſque, memorando Principibus exemplo, dolere ſe quod in iiſdem ſcholis eas coram excipere non valuiſſet. Germanos tuos clariſſimos Principes Hiſpanici Imperij ornamentum & fulcrum.D. Antonium de Benauides olim Salmanticenſis Academiæ, Magnique Conchenſis Collegij alumnum pariter ac Rectorem. Dein Sereniſſimi Cardinalis Infantis Hiſpaniæ Cubicularium & primarium Eleemoſinarium. Sanctæ Toletanæ Eccleſiæ Dignitarium Canonicum. Regiæ Catholicæ Maieſtati a Conſilijs ordinum equeſtrium & a Regio Ionopæo. Ab eadem Regia maieſtate in Palentinæ Eccleſiæ Infulas, a Sereniſſimo Infante Auſtriaco in Cardinalitiæ ſuæ dignitatis locum ob eximia merita enixè optatum. D. Henricum de Benauidés, Bayonæ Marchionem Siculæ primum, nunc Neapolitanæ claſſis ſupremum Imperatorem, fortitudine & bellica gloria in paucis clarum. D. Aluarum de Benauides præfatæ Salmantinæ Academiæ Rectorem,& Magni Conchenſis Collegij trabea etiam ſerica fulgentem ceu litterarij principatus, laurea, primaria ſcilicet iuris Pontificij cathedra poſt reliquas ſuo ordine

dine

dine moderatas, iusto certamine conquisita. (mirabamur equidem, nec sine voluptate cernebamus Principem iuuenem eò deuenisse fastigij in pugnacissimo illo orbis litterarij theatro, stricto ingenij mucrone, quò viri mediocres origine grandæuique rarò perueniunt.) Dein Regij Vallisoletani Senatus iudicem, nunc in supremo rerum bellicarum tribunali, dignissimum Censorem.

Præter hos tuos clarissimos germanos, Princeps Excellentissime, socios habuisti primæuæ illius velitationis in litteraria palestra alios plurimos, eosque clariores aulæ Dynastas; quos inter eminebant D. Antonius Zapata Comes de Barasas Regiæ domus magister, prudentia & rerum peritia loco ac nomini suo pari. Eiusque fratres D. Franciscus Zapata ex magno D. Bartholomæi Salmanticensi Collegio, vbi singulari Doctrinæ laude florebat, in Granatensem Senatum, deinde in Indicum, demum in supremum Castellæ meritissimè euectus. Et D. Didacus Zapata ex eodem D.Bartholomei Collegio, eodémq; Granatensi Senatu per eosdem Doctrinæ & famæ gradus, in supremum ordinum equestrium Senatoriũ album, ac demum status Mediolanensis magnus Cancellarius, est vocatus. D. Alamedæ Marchio. Et D. Petrus Zapata Habanæ aliorum locorúmque apud Indos gubernator. Viri fortitudine & prudentia Illustres.

Accedebant D. Anton. de Luna clarissimorum Comitis de Saluatierra filius ex celebri illo D.Bartolomæi Salmãtino Collegio bellici Consilij censor, tum equestriũ ordinum, post supremi Castellæ Senator, & nunc demum Siguntinus Antistes, virtute & Sapiẽtia clarus. D.Alfonsus de Velarco Cordoua Zeladæ Marchio pedestris militiæ Tribunus per Belgium & equestris per

é Al

Alſatiam Imperator. Ad Padum Arcis Valentinæ fortiſſimus propugnator ingenij iuxta ac armorum viribus inclytus. D. Ioannes de Velazco & de la Cueba Siruelæ Comes, Catholicæ Maieſtatis Legatus ad Poloniæ Regem, ad Italiæ Principes, ad Pontificem Max. Vrbanum VIII. Ac inter inaugurandum Innocentium X. Mediolanenſis ſtatus Gubernator & Supremus armorum Præfectus, Princeps eruditione, prudentia, omnigeniſque dotibus illuſtris.

Quid plures numerem? aut cur etiam hos recenſuerim? Indulgeo voluptati, fatebor enim, tales tantoſque viros commemorans qui vnam noſtram Matritenſem ſcholam, vnâque nobilitarunt. Sed tamen reliquis orbis Chriſtiani Dynaſtis ſtimulum etiam obiter admoueo, vti Principes Hiſpanos ſub publicæ ſcholæ ferulæ ſapientiam libantes, eaque ſe ad celſiora pacis bellique munia parantes; vti Pro-Regem noſtrum inter curarum & regiminis turbas Paladis amæniora pariter ac grauiora ſacra colentem æmulari non grauentur.

Et vos Principes florentiſſimi, tãto parẽte digna propago, Marchio Nauarum Franciſce, & ornatiſſime Emanuel, vtriuſque Regiæ ſtirpis Benauidiæ & Dauilæ geminum oriens ſydus, ſpes læta, hunc genitoris veſtri fœtum germana manu ſuſcipite, maturate in lucem edere, quo recedens ad alterius orbis clauum parens optimus, auxiliares humeros magno Philippo vt integrum ſuſtineat admoturus (heu nos tanto lumine orbandos!) altera ſui parte ingenij monumentis nobis fulgere pergat. Rem feceritis vobis glorioſam, nobis iucundam, omnibus ſalutarem. Opus enim hoc eſt lucem orbi late affuſurum, adeoque luce ac æternitate dignum. Ita cenſeo in hoc noſtro Collegio

Pampe

Pompelonensi 3. Calendas Februarias. Anno salutis humanæ 1660.

ANDREAS SALO, Soc. IESV,
Sacræ Theologiæ Professor.

D. FRANCISCVS RVIZ DE PALACIOS *in Decretis Doctor, & in Spiritualibus, ac Temporalibus Generalis Vicarius Illustrissimi & Reuerendissimi Episcopi Pompelonensis, &c.*

VIsis Approbationibus RR. PP. IOSEPHI MORETI huius Regni Nauarræ Historici, & ANDREÆ SALO, Sacr. Theologiæ Professoris Societ. IESV Patrum, facultatem damus ad præsens opus typis cudendum. Datum Pompelone, in Episcopali Palatio 3. Kal. Februarias, An. à Christi cunabulis 1660.

Doctor Don FRANCISCVS RVIZ
DE PALACIOS.

Mandato Domini Vicarij Generalis.

D. PETRVS DAOYZ & AGONETAS.

CLARISSIMIS, ET FVLGENTISSIMIS DOMINIS

FRANCISCO & EMMANVELI

CHARISSIMIS FILIIS

Excellentissimi Principis D. & semper Domini mei DIDACI DE BENAVIDES, Comitis Sancti Stephani, Marchionis de las Nauas & Solera, Comitis de Concentayna, & del Riscos, Catholicæ Regiæ Majestatis, à Cubiculo, & Belli Consiliis, Gienensis Regni supremi Capitanei: Comendatoris de Monreal, primùm Galleciæ Regni, nunc Nauarræ Proregis Mecænatis optimi, & iam apud Indos constituti, litterarum Emporij: Martis Alumini, Herois inclyti.

Addictissimus in obsequij pignus, Doctor, D. FRANCISCVS RVIZ DE PALACIOS

S. D.

TAMETSI quia amor pulsauit mentem, tentauit affectum (Præclarissime Princeps, Fratres Germa

Germani illuſtriſſimi) ſuſpecta quippe videatur veſtra laus. Nihilominus *non inficiar* aliquas,quæ, in vobis luceſſunt decantare virtutes, non vt veſtræ commendationi addam cumulum, ſed vt iuxta Senecam: *Virtus laudata creſcat.* [1] *fouet namque animum prænotata bonitas,& probitas laudatur, alget,* & cum eruditione,Celſius.[2] *Laudis cupiditas,& ignominiæ timor virtutem excitat, & ſi laus conſequitur duplicatur recti appetendi voluntas.*

[1] Iuuenalis. Satyr. 1.

[2] Celſius de geſtis Cæſaris.

[3] *Excitat auditor ſtudium, laudataq; virtus*
Creſcit,& immensũ gloria calcar habet.

[3] Ouid. de Ponto, lib. 4. Eleg.

Hoc ſolum hæ litteræ tentant ne voluntas tot beneficiis onuſta conie&tetur otioſſa. Tum ergo neceſſitudo, tum incomparabilis amor.

[4] ***Hanc habere orationem mecum à principio inſtitit.***

[4] Terent. in Hecyr. act. 3. Scen. 3.

Sed paucà dicam, nam omnia veſtra ornamenta virtutum referre.

é 3

5 Ouid. lib. 4. Trist. Eleg. 10.

[5] *Maius erat nostris viribus illud opus.*
Arduum ingens, seu impossibile mihi imposuisse viderer: [6] aptari onus viribus debet nec plus occupari, quam sufficere possimus.

6 Sen. Epist. 108. in p incipio.

7 Terent. in Hecyr. act. 3. Scen. 3.

Sed [7] *Vnde exordiar narrare, quæ nec opinanti accidunt*
Partim, quæ perspexi his oculis; partim, quæ accepi auribus.

8 Ouid. in Ibin. vers. 203.

[8] *Nec mala voce mea poterunt tua cuncta referri*

9 Idem, vers. 207.

Ora, licet tribuas multiplicata mihi.
Inde ego pauca canam, frondes, vt si quis in Ida
Et summam, lybico demare capat aquam.

10 Ennod. apud Ciceronem, lib. 2. de fine boni, & mali ad M. Brut.

[10] *In vobis etenim nimium boni est, & nihil est mali* [11] *&*

11 Seneca, controuersi. lib. 2. controuers. 12.

Sic in amore prius finem impetretis quam modum.

12 Orat. de Arte poëtica in prin.

[12] *Singula, quæque locum teneant sortita decenter.*

13 Lat. Pac. in Paneg. Th. Aug.

Quis ergo vos non ambiat? quos pulcherrimos natura signauit, [13]

Quibus

Quibus felix patria, domus, clara, forma Diuina vsus contegisset. Ostentanter, & plausibiliter vno ore canebat, ille maximus Hispanorum, & Gallorum Optimatum (pro Augustissima vniuersali pace) congressus (ad quem [14] *fluebant omnes gentes, & ibant populi multi,*) venustatem egregiam vestram admirans quibus, & cuilibet.

14 Isaias. cap. 2. n. 2.

[15] *Herent infixi pectore vultus*
Hinc senior Pater, hinc iuuenum diadematum fratrum.

15 Virgil. Æneidos. lib. 4.

Ita vt solum frater fratrem superare potuisset, & alternanter verba Terentij iustissimis encomijs caricare.

16 Terent. in Adelphum, act. 2. Scen. 3.

[16] *O frater, frater quid ergo nunc te laudem? satis certe scio*
Nunquam ita magnifice, quidquam dicam id virtus quin superet tua

Candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore, saphiro pulchriores, vos inicinabat quisque; quod in nobilibus, thesauricatas manifestat in cor-

de virtutes, & hinc laudantur Indij qui in Regem pulchriorem constituebant iuuenem [17] *& idem notatur in apibus:* [18] *& merito, quoniam quos specie* eximia, & regali affinxit natura magistra, homines proclamēt ad maius, vt de Priamo canebat Virg.

Facies Priami digna est imperio
Gratior, & pulchro veniens in corpore virtus,
Adiuuat.

Eodem namque Cælo quo corpus etiam animus exprimitur [20] *Corporis species simulacrum est mentis figuraque probitatis.* Viderunt (iterum dicam) regalem, & inuidendum nimis germanicum triumuiratum, de quo dici potuit. [21] *in Hispania apparuerunt tres soles paulatim in vnum coeuntes.* [22] *Vnde laudemus virum gloriosum in generatione sua.* Sed proh dolor, & ingemiscendum nimis felix funiculum triplex, quod natura contexuit inuida, sica-uit

17 Strabo de situ orbis, lib. 15.

18 Plin. lib. natit. Christ. 11. cap. 21. in finem.

19 D. Basil. exameron. 8.

20 D. Ambrosius lib. 2. de virginit.

21 D. Luc. epist. Iud. lib. 1.

22 Ecclesiast. cap. 44. num. 1.

uit Laquesis, & Excellentissimum Petrum omnibus primum, & secundum nemini nos priuauit, quia illo dignus non erat mundus, sed illi rerum optata quies, quia dormiens in Domino superis admiscitur ad vera primogeniti commoda, & è Paterno discedens Habrahæ sinu excipitur vnanicens admodum ille secundæ mortis dispendio, & quod gemibundus clamor in terra fuit in cælo lætitia. [23] *Hic clamoribus* illic ignis *cælestibus honoratur* & illi

23 Orat. de B. Matt.

[24] *Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibunt*
Flauaque de viridi, stillabunt ilice mella.

24 Ouid. I. Methamorphos.

Quis ergo iterum vos non ambiat [25] *qui in teneri iuuentute sapientiæ, eloquẽtiæ, & disciplinæ dotibus decus, populorum exemplum facti estis* [26] *cum in vobis natura nondum fimbrarat faciem lanugine, quando quisque vt alter*

25 Nicol. D. Bernar. notar. edict. 5.

26 Vlpan. lib. 6. ad epist. in lege I. §. 3. ff. de postul.

Herna

Herua. docti enumerati estis, & sic eruditi in iuuentute vestra, quasi flumen.[27] *Sapientia impleti estis, quod Grandeus*[28] *de impetratione numquā certus optauit hoc vobis adolescentibus supremum munus suggesit.* O generosam stirpem.[29] *Et tam quam in vnam arborem plura genera, sic in istam domum multorum insitam, atque illuminatam sapientiam*[30] *similitudinem suorum felix vena custodit.* O publicum decus.[31] *O quam pulchra est casta generatio, cum claritate. O inauditam tanti Patris celsitudinem pro talium filiorum maiestate venerandam: mirentur senes, admirentur viri, immittentur iuuenes & discant paruuli æphebos, tot & talibus prudentiæ dotibus ditatos, plausibus prosequendo. Sapientiam, vt ille sine secundo sapiens Salomon optastis, & datur vobis sensus, & benedictio. In vobis anticipata natura sperandum dat nobis multum.*[32] *O Pater, Pater, similis, partu, & exem-*

plo

27 Ecclesiast. cap. 47. n. 15.

28 Ennod. lib. 1. epist. 6. ad Faust.

29 Cicero lib. de Cartis. ortitor, qui inscribitur Brutus. n. 112.

30 Cass. lib. 8. var. epist. 16.

31 Sapient. cap. 4.

32 Orat. de Bear. Monic.

plo peperisti conceptus, dicam cum Ausonio ad quemque vestri.

Te clari Proceres te bello exercita pubes
Æmulatæ letitiæ decorat ſunda linguæ
Quin etiã maiores, & latũ fronte ſerena
Ingenium natura tuis conceſſit alumnis
At nec ſola antiqua oſtentat Roma Catones.

Omnes nunc vobis debitores ſe eſſe profitentur quia Excellentiſſimi dupliciter Patris ſcripta in lucem proferendo, ditaſtis Hiſpaniam, tanta occulta vtilia reipublicæ theſaura congerendo, quando mundus ſua carmina poſcit. [33] *Sed quis ſapiens, & intelliget hæc, intelligens, & ſciet iſta?* Vir enim in multis expertus cogitabit multa. [34] *Deum numine Diuino in Sanctis ſuis laudabit, qui in eis glorioſus eſt, & exempla inſequens imitari non piget*, Quos celebrare delectat. [35] *Tantorum virorum præclara ſerta ex ſarcophagis reſurgit*, vt poſſim dicere cum minori Plineo.

33 Modeſt. lib. 6. excuſſ. in lege 25. 89. excuſat Tutor.

34 Eccleſiaſt. cap. 34. n. 9.

35 D. Auguſt. ſermo. 47. de ſan.

36
Plin. in præfac. natural. hist. n. 65.

nio. [36] *Quando vno condeſtu narrat, arguit, colligit, ornat, docet, delectat, & afficit quorum parua admodum ſtudioſi attingunt propter ſecretum materiæ, quis habet ſalem, qui in eo eſt.*

37
Saluſt. Chriſti infrac. prope finem.

38
Sapient. 1.

39
Pſalmus. 46.

[37] *Sed quique res paruas tantum ingenium attingere nequit,* [38] *Vt cum ſapientia prorumpat per me Reges Regnant, nam quod operati ſunt diebus eorum* [39] *Antiquitas dilapſa delebit, & non in gladio ſuo poſſederunt terram ſed dextera eius, & ſcriptorum illuminatio illuminat eos, & ad hoc eligit nobis Deus hæreditatem ſuam.* [40]

40
Pſalmus 46.

41
Ora. lib. 1. epiſt. ep. 18.

42
Plin. lib. 2. ep. 9.

43
Mart. lib. 2. epigra. 88.

Namque [41] *Romanis ſolemne viris opus vtile famæ vitæque, & membris. Quo nihil verius,* [42] *nihil ſimplicius, nihil fidelius noui.*

[43] *Nihil exactius, eruditiuſque,*
Sed nec candidius benigniuſque.

Et quis Sanctorum portenta Regum ſcandentia geſta & per illuſtrium virorum bellica certius cane-

re

re potuit docere calamo, nisi, qui prius operando docuit.

[44] *Et tamen ante omnes Martem coluere priores,*
Hoc dederat studiis bellica turba suis.
Vt qui legerint, discant, & videant.

44 Ouid, 3. faust. vers. 89,

[45] *Ore loqui docto, & virtutem ostendere factis.*

45 Homerus illiada. 1.

[46] *Quod tua fecerũt scripta retexit opus*
Author quis libri, qualis liber ipse legẽdo
Si cupias nosces dicit vtrumque liber,

46 Ouid. lib. 1. de poëtis eleg. 4.

Et sic lector.

Inuenies ergo in libro cũ nomine fructũ,
Sic opus authorem, prædicat author opus

Ad quod

[47] *Valde ô celeri victoria gressu*
Suadentemque tua lauro detege laborẽ
Valde lubens, merito quæ parua suuecta triumpho
Te simul, & magnos populis ostendere Reges,

47 Ioan. Barc. Arg. lib, 3. Pag. 201.

[48] *Tu enim dedisti illis nouam coronam, & gloriam, & qualem potest præstare sæculum.*

48 Terent. in scorpiat. cap. 6.

Sed

ma vitis in te clementiam, misericordiam, mansuetudinem, modestiam, dilectionem, beneuolentiam, humanitatem, affabilitatem æquitatem, liberalitatem integritatem, magnanimitatem, & pro coronide sapientiam, qua [51] pulchre emines inter illustres viros, dum maiores illustras, & illuminas noscimus.

51 Senec. de Consul. ad Polibium.

Sic Astræa suis Diuinis artibus olim
Instituit pectus; Didace docte tuum,
Vt tibi fax fuerit supremas canere laudes
Gestaque illorum, quos tenet alta quies.
Vndique quam fœlix facit obmutescere viuos
Et vita functos per tua verba loqui.

Nunc ergo quæ tibi pro tantis obsequia referem⁹ (*Amplissime Princeps,*) sacrata canens præillustria docens.

Dij tibi dent grates quando non possumus ipsi
Rex tamē Emeritis, vt solet ipse dabit.
Nam mortalibus liber.

Reddit

[52] *Reddidit in terris iterum Saturnia regna*
Creuit amor, creuit gloria, creuit honos.
Creuit honos musarum intonsi, & gloria Phœbi
Creuit in vrbe seges, creuit in vrbe Ceres:
Herexit musis molem, cui barbara Memphis,
Cui cedit veteri Roma superna rogo.

52 Academ. Neap. de Barthenope.

Proinde tibi magno magna patant tria pignora nota [53] inter omnes constat te iustitiam summopere venerari, & ius suum, cuique æqua lance tribuere, omnesque ad virtutem amplectendam allicere, criminosos arcere, tu siquidem grauissimus, prudentissimus, ac incorruptissimus perpetua grauissimorum munerum gubernatione prudentia animique tui dedisti significationem, labor tibi in negotijs assiduus est, fortitudo in periculis, industria in agendo, cæleritas in conficiendo, consilium in prouidēdo, in iudicādo rectus, in consulendo seuerus,

53 Sen. ad Polibium.

rus, &nũc noſceris in dicẽdo ſimul & ſcribẽdo, cum grauitate iucũdus, cum iucunditate grauis in reſpondendo mitis, in monendo placitus, in rebus experiendis ſolertiſſimus, aditu nemo facilior, in cõgreſſu nemo ſuauior, nemo ad bene de omnibus promerendum paratior, & omnibus hoc in honore eſt. Audi nũc Ennodium Epiſcopum Tuciſcenſem de te propria loquentem[54] *multa in te genera virtutum ampliſſime Domine munere ſuperno congeſta cernimus*, ſiquidem agere videris ſine ſuperbia nobilem, ſine inuidia potentem, ſine ſuperſtitione deuotum, ſine iactantia doctum, ſine ineptia grauem, ſine ſtudio comem, ſine aſperitate conſtãtem, ſine popularitate cõmunem, & nũc Plin.[55] *Cum magnus effectus es, deſcendis in familiaritatis officia, & hinc maxime Imperator, cum amicum ex Imperatore agis*, dic amo cum Caſiodoro.[56] *Acceſſit his bonis deſiderabilis eruditio litterarum, qua*

54 Sinæd. epiſt. 13. lib. 8.

55 Plin. Iunior ad trag.

56 Caſiodorus lib. 10. epiſt. 3.

quæ naturam laudabilem reddit ornatam. Ibi prudens inuenit vbi sapientior fiat, inde bellator respexit vnde virtute roboretur; inde Princeps accipit, quemadmodum populos sub æqualitate componat. Nec enim aliqua in mundo potest esse fortuna quam litterarum non augeat gloriosa notitia.

Quo nunc Nuncius bonus de terra longuinqua pergens ad Indos, quid mirum, si Nauarra, & tota Hispania te orbandam esse potius tristatur, quam de te nunc in corde retento lætetur. [57] *Tui vero tanta sunt cupiditate incensus ad reditum, vt mihi nulli, nec remi, nec venti satisfacerent non quod tẽpus occursum putarem, sed ne tardiùs, quàm cuperem Reipublicæ gratularer. Sed cor amãdo, dicat, intende prospere, procede, & regna.* [58] *Nam propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam te fert Spiritus Domini super aquas, quia in te misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculatæ sunt, sed cur nos Pater deseris*

57 Cicero orat. 4. Philop.

58 Psalm. 44.

ris cur nos desolatos relinquis.[59] *Reuertere, reuertere vt intueamur te, sed si benignitas dat nobis sperandi veniam, dicam:*

59 Ecclesia in officio.D. Matt. Martial.de aduentu Cæsar. epig.

Phospore redde diem, cur gaudia nostra moraris
Didaco vento phosphore redde diem.

VALETE.

BIBLIOPOLA,

ELOGIVM.

GRATVLOR, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, Nomini tuo, Familiæ tuæ, præclariſſimis liberis, Hiſpaniæ feliciſſimæ, ætati noſtræ, poſteritati, & mihi gratulor.

Tandem prodeunt Horæ tuæ Succiſiuæ, & lucem quam meruerunt diu aſſequentur; Horæ omnium horarum, totius temporis, quæ diurnis & nocturnis horis euolui debeant.

Illuſtriſſimæ BENAVIDIORVM familiæ laudi erit & gloriæ, id toti in futurum æuum poſteritati, id maximè liberis tuis, qui proximi trunco ſuccum à te hauſerunt viuaciſſimum & feraciſſimum, eum traducturi nepotibus, ingenti tuæ gloriæ & tuarum laudum incremento. Sed neutiquam tam immenſum bonum familia vna tua conſcribitur, peruagatur Hiſpaniam totam;

& in laudis tuæ partem Patria tua totam amplitudinem ſuam immittit.

Nam cum multos habeat, qui res magnas gerant, pauciores qui ſcribant; quanta dignitas nanciſci in Te vno, qui præclara faciat, & præclara ſcribat. Hæc ab orbe condito vni forſitan Cæſari debita; vt quæ dextra Enſem, ea ſtylum tractaret: quæ viciſſet hoſtes, & inuidiam temporis vinceret, & Lauros tam ſcribēdo quàm vincendo immortales ſereret.

Eam laudem, Princeps Illvstrissime, Tibi debet Hiſpania, vt in te legat, quæ per te patrauit, & tranſmittat per te ad poſteros, quæ fortiter & prudenter per te confecit.

Nec enim manu ſolùm ſed etiam capite iuuiſti laborantem, Minerua tam in conſiliis quàm in præliis, imò Minerua tam in Parnaſſo quàm in Muſæo, præclarus Coronarum artifex, qui materiam ſufficeres ac formam affingeres.

Ideò non vna Prouincia tantam felicitatem concluſit Hiſpania, produxit in plures, vt pluribus beneuolus eſſes atque beneficus.

Viderunt Inſubres pugnantem & conſulentem, tuis ſibi conſuluerunt virtutibus, te quaſi

propugna

propugnaculum ac veluti gladium hoſti opponentes & immittentes! Te poſtmodùm Gallæcia amauit Proregem & admirata eſt; te ſimiliter Nauarra noſtra amplexa eſt; eò felicior,quod poſtrema bono tam cumulato donata eſt, Pacem cum vniuerſa Hiſpania tuis curis & ærumnis aſſequuta tandem.

Sed quàm effuſum bonum & quàm immenſum eſt, quod contineri Europa non poteſt, & Solis inſtar communicari cum Indiis debet! Oceanum dicam iuſtitiam tuam & virtutes tuas; ex ampliſſimis finibus erumpit Oceanus, ac per fauces Gaditanas in terras ſubiens, mediterraneum procreat; tu Europæ finibus non conſcriptus, in Aſiam extremam protenderis, tanta virtutum copia eſt atque meritorum.

In publica gratulatione eſt etiam mihi priuatim quod gratuler, quoniam præclara illa opera ſumptibus meis & diligentiâ in lucem emiſi. Tot tibi obſtrictus beneficiis, tuarum virtutum admirator perpetuus, cùm maiora non poſſem, impetraui ab arte mea Typographi, vt in poſteros ires, & qui mea tibi donare haud poſſem, donarem tua, per te & de tuo munificus, per te ſem-

per locuples, ſeu cum reciperem, ſeu cum darem.

Habe igitur gratiſſimi animi monumentum & pignus, & patere recognoſci palam quæ priuato tibi ſcripſeras, bonumque quod latebat modeſtiâ tuâ, nunc publicum eſſe; quod nouum mihi beneficium erit, dum Tubæ inſtar, Famæ committam, quod vna domo concludebatur.

Vale & Faue.

IOANNES CORONEVS Excellentiæ tuæ addictiſſimus & obſequentiſſimus.

D.D. FRANCISCO, & EMMANVELI
BENAVIDIO DE PATRE,

ELOGIVM.

O Egregie factum!
Date typis Genitoris genium, & ingenium.
Quem vos in vitæ
Edite in præli lucem.
Duplici viuat per vos Posteritati ratione
Liberis, & libris.
Ferrei bellica Fama,
Aurei literatum nomen
Perennet.
Eius superstes nomen vel monimentis
Moneat mentem:
Vel poëticis numeris
Ostendite absolutum:
Vel Suada Herculem indicate Gallicum,
Principi, Patri, Præceptori
Laureâ laude, literatura
Illustri, Insignito, Inclyto

Suâmet expolitâ linguâ
Grates agite.
Multæ illum sibi Dotes vendicant,
Quem vester & Amor hamet.
Sic fari videtur
BELLICA ARS:
Mihi DIDACVM, *datum Marti, date.*
Meus est.
Tunc Ingenij usus est acie, cum
meas acies descripsit.
Inter Equitum Alas, Musarum Alumnus,
Per quem
O verè Musarum fons
Caballinâ effossus ungulâ:
Tunc Parnassi Veneres amplexatus est
Cum Veneris Cellam expugnatam cecinit.
Sic Armis Literatura Pedissequa;
Sic Tubam pone venit Tibia:
Sic cædibus egregius mihi cessit Cliens;
Sic expolij.
Mox ex Insubria chlamydatum
Illum Extremæ-Duri, atque in Lusitanos
Rebelles dedi Moderatorem, &
Victorem.
Atqui ex Gradiuo isto gradum
ad maiora fecit insignia.

Iam Gallecium, nunc Nauarrum
Proregem. Ensis & Lancis
Martis, & Astrææ
Fortissimè, iustissimè
Belli, & Pacis tempore
Hispania veneratur.
At

MATHESIS

Bellè pro te belli Magistra disseris,
Ego verò
Etsi puluere Mathematico aspersa:
Non ideò nebulâ meas offundam rationes.
Tu magnis in gestis magnum decantasti:
Ipsa verò,
Vt ex lineâ Apellem, meis
Ex lineis exhibeo celebrandum.
Radium meum tractat.
Inde in Gloriæ radijs
A me Archimedes, & machinis stipatus
Ad tua accessit stipendia.
Scientem
Circum Mœnia dare obsidionis coronâ
Tibi triumphali serto coronandum
Tradidi.
Ex illius argumentosa manu
Tibi Gloriæ suscipis argumentum.

Non ne ita?
Iam tanti viri mihi tutela incumbit mecum eius gloria in libris libera vagatur.
Apagite vos tunc
COSMOGRAPHIA
DIDACVM *vel totius mundi pretio*
Mihi vendico
Superioris, & inferioris Sphæræ giros in illius intuli animum; vt extra aliorum orbem meum esset patrocinium.
Ambit mente Cælos; terras meditatione complectitur; Vrbes memoriæ penicillo describit; cum fluminibus cogitatione currit; assurgit ratiocinatione cum montibus; cum vallibus studio deprimitur:
Maria illius animo
Spatiantur:
Cogitatione Prouincias circumscribit.
Sic
Cosmographus, Geographicus, Corographicus, Topographicus per me Mathematicis traditur
Vnde Militiæ.
Io
Iam mihi illum, & typis adiudico.
Sisto me paucis ait

HISTORIA
Ac postliminio meum à vobis
Ocellum repeto
. *Ipsa in* DIDACO *viuo*,
Et præteritam præsentem memoria
Me facit.
Alter Licurgus sagatus Historicus
Antiqua, Græca, Latina, Germanica,
Gallica, Italica, Hispanica
Sacra
Eum concinno.
Atque exemplis militiæ.
Mathematis igniculos
Excitaui:
Et præludentem mihi Cosmo-
graphiam aperui.
Meis igitur viuat auspicijs donatus rude;
donatus typis.
Post habitus inquit anteuertam
MVLTIPLEX LINGVARVM VSVS
An ne minor pro se, quam pro vobis
Lingua peroratrix?
Ad vos illum multifario dedi vehiculo.
Omnigenâ eruditione, dum omnigenâ locutione.
Quin Linguarum curriculo ad im-
mortalitatem festinauit.

Aliena eloquia sua DIDACVS *fecit*;
Vt tanquam proprijs laudaretur.
Iure sibi
Tam variè eloquens vocalem famam
Vendicat.
Cui fauet Gloria dum Facundiæ fauet.
At si solutâ vtitur oratione
Eum mihi ad intimam vincio familiaritatem
Si astrictâ numeris,
Eum laxis pomœrijs decantandum
Educo,
Si meus eloquio est;
Meus etiam libris circumferatur.
Exeat igitur ex Typis
Linguarum Archetypus.
Mox
NOBILITAS
Vos ingeniô excogitatas:
Ego verò ingenuas dabo rationes
Ait:
Et Nobile, & Nobilis eat in lucem
Opus.
Sine Liturâ Literæ ad meum adesto
Candorem:
Sine situ ad meas defecatas dotes:
Sine tenebris

Ad meos puriſſimos radios.
Principem locum iam apud Mortales
Sortitæ eſtis
Sic à Principe cultæ.
Vos DIDACO *acceptum referetis; quia*
vos lubenter animo
Excepit.
Prius lucernam;
At modò ab illo tractatæ in nobilitatis
Iubare ſolem, ſapitis.
Quamobrem,
Si ante lucem eius per me lucebant
Elucubrationes;
Nunc præli ex luce per me luſtrandæ prodeant hæc illa.
Interim vos
DD. FRANCISCE, *&* EMMANVEL
Iuuenilis Hiſpaniæ Delicium inter pater-
narum dotium Litigium,
Conformes date formis circumferendas
Genitoris elucubrationes,
Vt
Vobis ad ſtudia facem præferant
Sic rogat Amici
Calami Amica Veritas.

AD

AD

ALEXANDRVM VII.

PONTIF. MAX.

FRANCISCVS & EMMANVEL AVTHORIS FILII.

EPIGRAMMA.

ACcipe de nostro properat quæ Musa Parente
Nomen, ALEXANDER, nam gerit illa tuum.
Maximus es, paruæ num spernes verba Camœnæ!
Non. Modò sed grandi Nomine, magna facis
Tergimina hæc subeant sacræ vestigia Plantæ
Et Pater, & soboles, Patris & ipse liber.

AD AVTHOREM,

EPIGRAMMA.

PRægrandes tibi sunt Tituli, sunt splendida honorum.
Nomina, Maiores quæ meruere tui.
Marchio, Dux, Prorex, Princeps, Comes: omnis in vno
Gloria sed meritis non tamen æqua tuis.
Grandior es Titulis ipse omnibus: inclyta Virtus,
Et Regi, & Patriæ certa probata fides
Illustris Pietas, Præclara Scientia, pondus
Consilij, Belli Gloria, Pacis Amor.
Ornamenta tibi sunt hæc; Te gratia Regis
Sed mage te summi Numinis Ornat Amor.

GVLIELMI SVBRRIGERII.

D.D.

INDEX
CARMINVM, EPISTOLARVM, EPIGRAMMATVM, ELOGIORVM, Anagrammatum, Capitum, & Paragraphorum Libri huius.

LIBER I.

LIBER II.

Tempore

LIBER III.

Anagram

ELOGIA VARIA.

ELOGIA DE HISPANIA.

Hiſpania

ORACVLA

ORACVLA DIVINA.

§. XIII.

§.VI.

AD LECTOREM.

Monitum te volui, Amice Lector, *Typographum locis compluribus non parum errasse, tùm maximè in numeris; nam qui esse debuit numerus* 289. *reperitur* 189. *Quod tibi ne fraudi esset, posteriorem numerum asterisco notatum in indice reperies, priorem sine asterisco: Cætera aut humanitate ignosces, aut ingenio emendabis.* VALE.

D. D.

D.D. DIDACI BENAVIDII COMITIS SANCTI STEPHANI

CARMINVM *LIBER I.*

ALEXANDRO VII.
Ad Pontificatum Maximum recens assumpto
POETICVS PLAVSVS.

Viuat ALEXANDER *, qui nomine septimus orbem*
Legibus instituat sacris, & iure supremo
Fungatur, Christique vices redeuntis ad astra
Occupet, ac solium teneat venerabile Petri,
Vt caput in terris peragentis bella Sionis,
Quâ licet æthereos imitantis parte triumphos.

Non celeri Plebis plausu; Procerúm-ue fauore;
Belligeri aut auido suffectus ab agmine vulgi;
Æterna sed mente Dei, summoque creatus
Consilio, & certis diuinæ flatibus auræ,
Stelliferum reserare potens, & claudere Olympum,
Impositisque trucem cohibere Acheronta catenis;
Et datus afflictis succurrere gentibus Auspex
Propitius, grauibusque malis imponere finem.
Qualia Threicius terrâ, pelagôque Tyrannus
Intulit, vt cunctis Venetos ditionibus orbet,
Europamque premat: similis feritate Suecus
Rex tumet hæreticâ, vastansque Polonica latè
Oppida sacrilegos temerarius arripit ausus
Alter, & alter ouat Romæ auersatus honores
Acriter, immanique pias formidine gentes
Territat extremam minitatus vbique ruinam.
Quos penes auxilium, tutelaque certa fuisset?
Forsitan Hispani, & Franci, quorum vtraq; vasto
Robore Regna vigent, rectumque in Numina cultum
Obseruant? Bellis iam dudum agitantur iniquis
Proh dolor! atque omnes adigunt in viscera vires
Sanguinis immemores duplicato fœdere iuncti.
Sed quantam miseris superos promittere terris
Spem rear, & damnis certam aduentare salutem,

Quæ nullâ possent melius ratione leuari,
Quàm quod Apostolicæ subeat fastigia Sedis,
Qui pacis nuper fuerat delectus agendæ
Nuntius excelsa tractare negotia mente
Publica conueniens, & dotibus inclytus altis
Corporis, atque animi; ac recti succensus amore,
Cuncta coërcuerit blandis præcordia vinclis
Humanam visus meritis excedere sortem.
Sic Pudor, & Virtus, & longo cognitus vsu
Iudicij præstantis Apex, Sapientiaque illum
Vsque per ingenuas exercita prætulit artes,
Ingeniumque sagax, ac doctæ copia linguæ
Eloquio attonitos quò vellet flectere sensus
Astantum, & plenos effundere Nectaris imbres.
Rara cui validum munit Constantia pectus;
Inuidiam calcans pedibus: Fortunaque nunquam
Defuit, ac famulis arrisit prospera fatis,
Nobilitas veteri Maiorum Stemmate fulgens,
Contigit hinc æquo moderamina obire tenore
Sæpius, & Latiâ Populos regione tueri
Iustitiam in terris iterum regnare putantes.
Tantus iuris honos, legumque peritia fulsit
Imperium; mores etiam complexa benignos.
Sed congesta virum memorent præconia tantum

 Legâ

Legatos inter celebres, vbi mœnia miris
Nota Monasterium commendant plausibus Vrbem,
Et Belgam occiduo Germanus limite sistit,
Ac pacem Bataua cum gente Hispania sanxit.
Non votis dilata fides, cum protinus æquor
Ægæum large Turcarum sanguinè tingi,
Subsidioque sacro, missisque triremibus actas
Esse diu prædas latum diffusa per orbem
Prædicet optatæ passim tuba concita famæ.
Strenuus intereà fœlicem Sarmata sortem
Persimili recreatus ope atque ingentia facta
Cogitat, & patrijs expellere finibus hostes.
Haud sine consilio superum, genioque capaci
Creditur in senium vergente Inocentius æuo
Purpurei Fabium præcingere honore galeri
Tergeminæque aptum decori exhibuisse Tiaræ.
Roma nec exiguas causabitur ipsa Camænas,
Quæ resonant nimium turbantibus otia curis,
Dum modo distantis perfunctus munere Regis
In pace, ac bello leges, atque arma guberno
Hic vbi sublimem tutatur Vasco Pyrenen
Iugeraque à Gallis dispertit Ibera colonis.
Tu tamen ante aliòs Grex ô venerande Senatus
Romulei, nitidum Mundus quem suspicit astro,

Obsequijs

Obſequijs aſſiſte meis, Dominique ſecundas
Dignare oblatum deducere carmen ad aures:
Nec meritas ceſſes laudes iterare Tonanti,
Cum ſacræ annuerit Naui præbere Magiſtrum
Ore loquens veſtro, qui tot ſuperare procellas
Calleat, & faciles ad portum tendere curſus
Macte igitur, ſtudijs amplecti perge benignis,
Et ſeptemgeminos compelle ad gaudia Montes,
Certatimque pedis quærant pronæ oſcula gentes.
Quotquot Religio, ac Probitas erit enthea cordi.
In primis Senæ plauſu moduletur ouanti,
Vrbs antiqua, potens, Tuſcis celeberrima terris.
Magnaque Pontificum licet inter nomina pridem
Tres numeret Natos; hôc ſeſe iactet alumno
Clara magis, Chiſiumque genus ſuper æthera tollat.
Non Itali tantum, terræque habitator Iberæ
Contendant meritas ad ſidera tollere grates;
Sed qui Franciadum, aut Germanis degit in oris
Sectatus ſtygium Lutheri dogma proterui,
Caluinique addat numerum pia ſacra Verentum;
Hyberni, atque Angli, Scotique repulſa tot annos.
Sceptra, fidemque petant: & Rhenus, & Albis adoret
Quâ quondam pietate Deum, quos flumine cingit
Danubius duplici, quos Viſtula proluit vndis;

Quique bibit Gangem, vel qui bibit ostia Nili,
Quos propior lustrat roseis Aurora puadrigis;
Quæque iacet sero Zephiri sub Cardine Tellus;
Seu plaga vasta Noti, Borei seu conscia flatus,
Vnum Romani fiant Pastoris ouile,
Atque orbis verum fateatur vterque Parentem.

SERENISSIMO CARDINALI INFANTI

FERNANDO

Potentissimi Philippi IV. Hispaniarum Regis Fratri

EPISTOLA.

SI vacat, & clypeum FERNANDE *parumper & hastam*
Ponere suadet hyems; ac te diuersa Mineruæ
Castra vocant, nobis teneros exculta per annos,
Accipe ab Hispana quod nunc tibi mittimus aula
Carmen, & exiguæ ne despice dona Camenæ;
Dum populi tua signa tremunt; dum Holandia latè
Comprimitur, celebratque tuos Bellona triumphos,
Ac Frater, gemini qui temperat orbis habenas
Exultat,

Exultat, gratuſque Deo dare geſtit honorem;
Ac ſolers maiora tuis molimina captis
Deſtinat, & cunctis inuadere finibus hoſtem
Sed trepidant deſueta diu mea Barbita plectro,
Nec numeris tua geſta audent, nomenque ſonare,
Quod Linus, aut tumidus comitanti Pindarus Orpheo,
Aſcræuſve ſenex, atque ipſe recuſet Homærus
Pondere geſtorum preſſus: tibi cedat Achilles
Virtute, ac fatis; nec ſe tibi conferat Hector
Pergameas tutatus opes, patrioſque penates.
Carpetana dedit Regales Mantua cunas,
Et Cretam, & Delon, tanto deſpectat Alumno
Clara magis. Quis enim mirabilis acta iuuentæ
Prædicet? excelſâ generoſos indole mores,
Et ſtudia in Superos, mentiſque capacis acumen?
Quæ celebrent alij, vt Suadæ, Sophiæque ſuprema
In iuga prouectus Permeſſidos hauſeris vndas
Vberius reliquis, quos par coniunxerat ætas;
Et Pudor, & Pietas, Virtuteſque ordine iunctæ
Mirifico humani decorarint Numinis inſtar.
Munera vt Hiſpanus tibi debuit ampla colonus,
Vt Tagus auriferis pretioſior iuit arenis,
Summa Toletani regeres cum munia Templi
Purpurei ſacro decoratus honore galeri!

Quippè videbaris meritis ita præditus altis
Inclyta temporibus superare exempla vetustis
Doctrinam potius, quàm res testantia veras.
Hinc stupuit Ditio te Catalaunica Fratris
Imperium absentis, commissaque sceptra tenentem.
Quin etiam Insubriæ populos, vrbesque superbas
Contigit Imperio frenare, ac legibus æquis;
Vnde honor, & tantis rara experientia factis
Accessit, mox Germanos inuisere fines,
Et gerere insignem Norlingui prælia ad Vrbem;
Victorem in Belgas, quæ te vexere regendos,
Illic prudentem cœtus suspexit, ouantem,
Bellator toties, & vterque verebitur Orbis.
Cum populi Hesperiæ disrumpere fœdera pacis
Tentarunt subitò Flandros inuadere Marte,
Et Bataui magnas iunxere in bella cateruas.
Præmittis quosdam, qui tela inimica retundant
Nequicquam: conuersa fugæ dat terga citatæ
Omnis eques. Namque externis conductus ab oris,
Aut minus est fidus, decorisve repagula frangit.
Ast Hispana cohors, patriæ quam cura salutis,
Quam pellexit honos, caput obiectare periclis
Certat, anhelantisque animum ciet æmula Tygris,
Quæ teneros quærit fœtus, gnarumque latronem

Hinc,

Hinc, inde insequitur: confligitur vndique, & acri
Ille, vel ille animo, caditque capitque vicissim
Hostem Hostis, neutrique fauet Victoria, donec
Vsque adeo fortuna pudens, inuitaque nostræ
Virtuti potius numerum, quam prætulit arma.
Sed quantę passim clades! quàm tetra nefandis
Facta odijs miseros expilauere colonos,
Et præda, & multô maduerunt Sanguinis haustu!
Oppida terna capit sine vi, sine vindice Victor.
Laxat ut horrifici bacchantes pectoris iras,
Nec ratio ætatis, nec habetur gratia sexus!
Est qui diuersas pœnarum inuenerit artes,
Sæuaque præbuerit trucibus documenta Tyrannis,
Prisca feros quorum damnarunt tempora mores.
Sola nec in populos rabies, crudelia templis
Bella mouent, Diuos lacerant, Delubra profanant,
Sacratosque viros lædunt votasque puellas
Numinibus, quà vi rapiunt, quà turpiter vsi.
Quis furor in superos, quæ tanta licentia Erinny!
Horrida vexatis intrudere tartara terris!
Proh facinus? Calcant pedibus venerabile Christi
Corpus, equis ausi proponere pabula, toto
Aligerum quod prona phalanx colit æthere, quodque
Posthabito cuperent Diuini nectare ciues.

Natura obstupuit, factumque perosa nefandum
Soluere perpetuum voluere elementa tenorem,
Ac primum reuocare chaos, cæcisque sub antris
Cocytus, Phlegetonque atras compescuit vndas.
Iam populatrices propius Bruxella phalanges
Aduentare timet, pauidoque agitata tumultu
Infelix titubat, miseræque simillima Troiæ,
Cum caderet Danaum telis, ac fraude Sinonis.
Intereá obsidio Doctas grauis vrget Athenas
Belgarum, Musæ nutant; atque ægida Pallas
Præripit, & crudo vallat thorace lacertos.
Non durat tamen vsque nefas; Nam vindicis iras
Numinis exercet Princeps; sese acer in armis
Accingit. Rubicunda suum non Memnona Mater
Nec sic Æacidem cultu studioso superbo
Instruxit Thetys, armigerosque aptauit in vsus.
Fernandum quam blanda polit Natura paratu
Corporis egregio! Supereminet ilicet omnes
Qualis aues inter volucrum Regina minores
Expandit pennas Phrygiæ de collibus Idæ.
Membra chlamys formosa decet, quam Dædala
Præstanti sciret variare Semyramis arte. [nunquam
Aureus eximium sustentat Baltheus ensem;
Insani neque cura habitus: non Ocrea gemmas
Protulit,

Protulit, aut manicæ nitidis rubuere pyropis.
Agmina nec lustrat curru sublimis eburno.
Hispano spectatur equo. Non Gorgona Perseus
Cæsurus, volucri vectus per inane iuuenco
Talis erat; gladium quamuis adamante rigentem
Trinacrijs illi fabricauerit æthna caminis.
Aut cum Bellerophon vastam superare chymæram
In iuga Pegaseô volitat Parnassia cursu.
Bellona inuidit robur; Venus arsit amore,
Bis Martem spreuit; semel odit Adonidis ignes.
Ergo belligeri numerosas militis alas
Irruit, ac latis committit prælia campis.
Pars ictu percussa cadit; pars capta tenetur,
Pars nostram effugiens aciem (mirabile dictu)
Cælitus inflictô stygias morbô acta sub vmbras
Mittitur, exemplum, quod postera consulat ætas.
Austriades duplici tormenta ex hoste reportat
Fulminea, excelsisque aufert addenda trophæis
Vexilla è cunctis, quæ duxit Iberia terris.
Nec modo victorem dumtaxat suspicit hostis;
Magnanimum laudat; libertatemque fatetur
Amissam debere tibi; Dum prodigis vltro
Captiuis patrias reditum generosus in ædes.
O mihi si tribuat vocales Cynthius vndas,

Vt tua Pierio præconio pectine tollam!
Schinchia pugnanti sese tibi mœnia tradunt,
Præsidijs quæ firma tuis, inuictaque reddis;
Milite, & annonâ, cunctisque paratibus ornas.
Quis robur memorare queat, quis mentis acumen
Præclarum celebret? validas ut viribus hostis
Contuderis vires, artemque eluseris arte,
Cornuaque armiferi perfregeris vtraque Rheni.
Excussos pridem frænos timuere Bataui
Ferre iterum, Hispanoque iugo dare colla subacti.
Iam video famulis Isalam pallescere ripis,
Et domita ditione premi. Iam Zutphenis arua,
Iam duplicis pingues Phrisiæ tibi cedere glebas.
En & Limburgum superas victricibus armis,
Totque simul populis, terrisque potiris opimis.
Consilijs quin ipse tuis dubitante Senatu,
Bellantum fortem Genepæ capis impiger arcem,
Venturis momenta ferens ingentia rebus.
Nec sinis eximio miri sine honore triumphi
Ire diem, famæque tubam tua gesta fatigant.
Macte animis decus Austriadum, macte inclyta
Progenies magno non inficianda Philippo, [Regum
Hesperiæ lumen. Tu bella minantia Cœlo
Sacrilegis veteres studijs imitata Gigantes
Comprimis,

Comprimis, ætherei non fulminis obruta nimbis,
Auspicijs sed fracta tuis, vigilique labore,
Atque alta virtute animi. Tu miles Olympi
Vltus ouas Superos, antiquaque gesta parentum
Heroum instauras, & sæcula laudibus æquas.

DD. IOANNI ISASIO, Comiti de Piedeconcha, Hispaniarum Principis Præceptori An. 1636.

O Tartessiaci teneros, quem Principis annos
Cura penes regere, ac dignam præbere futuro
Doctrinam Imperio, diffusa quod æquora, quodque
Ambit humum, & geminas Hyperionis occupat ædes.
Hæsitat apricis quamquam nutrita viretis
Thespiadum mea Musa tuas accedere ad aures,
Conticuitque diu; tibi nam Permessidos vndas
Vberius reliquis, Heliconaque pandit Apollo;
Summaque prouexit sapientum ad templa merentem.
Nec dotes Natura suas, neque clara negauit
Stemmata Nobilitas, Virtus quibus addit honorem.
Quæ celebrent alij; resono dum pectine doctum
Te memorem, ingenijque feram super æthera laudes.

Attica

Attica nectareos, Pythoque latina lepores
Infanti pro lacte dedit, puerumque bicollis
Pierides, charitesque iugi fouere sub vmbris.
Mox studium, causas, penetraliaque intima rerum
Noscere; dein iuris,legumque peritia fulsit
Iudicium, quanta inde tuæ solertia menti
Accessit, canamque potes superare senectam.
Protinus externas studiosis passibus oras
Emensus, visis Belgas, Martemque frequentas.
Nec sic facundum via longa instruxit Vlyssem
Consilijs, gnarumque omnes aptauit in vsus.
Nunc tamen egregios torquent maiora lacertos
Pondera, suppositusque graui sub mole laboras,
Austriadæ pectus iussus formare tenellum,
Vnde manet Regni columenque decusque futuri.
Hanc licet in curam totis, incumbere neruis
Vt tuus existat Princeps optandus Iberis
Gentibus, & duplici longè venerabilis Orbi.
Quin etiam puero fuerit nec tantus Achilli
Philirides acri doctrinæ laude Magister;
Tantaue Pellæo dederit documenta Tyranno
Magnus Aristoteles, ambos prætis artibus, ambos
Sic tuus Heroas superet quoque laudibus Heros.
In superos cultum, recteque vigentis amorem

Suggere

Suggere, & inuita sublimem ad maxima mentem.
Quâ sibi commissos facilis ditione gubernet
Instrue, dum ceræ similes gerit indole mores.
Sed comites prohibe indignos, quanta inde sequantur
Damna, vel exemplis passim cognosce diurnis,
Sæclaque prisca notant toties; quâ sumere sceptra
Conueniat, quâ tela manu fac discat, & omnem
In partem vitæ informa; sint paruula ludus,
Prælia contendat doctus, simulataque castris
Agmina disponat, breuibus pugnantia signis:
Ac meritis pœnas, & præmia conferat æquus.
Annales legat, ac Regum monimenta potentum
Inclyta perlustret, gestisque antiqua futuris
Componat, nulloque vsum non hauriat æuo,
Tam faustum Regnis, quàm sæuum hostilibus ausis.
Nec tantum Hispani capiat facunda leporis
Flumina; sed variô promptus sermone loquatur;
Siue iuuet Tuscæ, seu Flandræ munera linguæ
Reddere subiectis vtriusque oracula gentis,
Quos regit Imperium sceptri sub nomine Iberi,
Diuersisque patrem dici se vocibus vnum
Sentiat, & nullo celebres interprete plausus
Noscat, & hac populis existat amabilis arte.
Suada perennifluos latiô de fonte liquores,

Te duce, ſufficiat: nec Cæſaris arma diſerti
Prætereat, doctum relegat, meditetur ouantem.
Penſitet & Criſpi Hiſtorias, Floríque nitentes
Carpat opes, Taciti ſummum nec omittat acumen,
Scripta Titi accedat veteris qui grandia Romæ
Facta notat, paciſque decus, bellique triumphos.
Plutarchi ac Senecæ varios euoluere libros
Nec renuat: placidis alternet ſeria rebus.
Mulceat excelſas argutus Horatius aures.
Alta cothurnati delectent plectra Maronis.
Sacra ſed auguſtum præſertim pagina pectus
Imbuat, exemplis imitanda docentibus acta.
Illic certa fides rerum, non ſomnia vatum,
Nec fictis ſimulata modis mendacia cernet;
Aſt dictata Deo, qui falli, ac fallere neſcit.
Tuque adeo iubar Heſperiæ, ſpeſque optima gentis,
Quem tot Regna manent, cui fortunata triumphos
Fata parant, Princeps, tanti præcepta Magiſtri
Hauri auidus, placidoque ſimul cole gratus amore,
Soluere cui nequeas pretioſis debita gazis,
Quas Seres, quas ſudat Arabs, quas mittat Eous,
Aut plaga diuerſo librata ſub ætheris axe.
Spero equidem auſpicijſque tuis, ac numine Diuum
Vexato tandem veniat pax aurea mundo.

Applaudent

Applaudent vrbes, florebit Iberia teque
Iam ſene felicem Genitor moderabitur Orbem.

IOSEPHVS MORETVS
Pompelonenſis è Societate IESV, Regni Nauarræ Hiſtoricus:

EXCELLENTISSIMI PRINCIPIS

DIDACI BENAVIDII,
Comitis S. Stephani, Nauarræ Proregis cultiſſimis de bello Inſubrico carminibus incitatus pangebat.

VNDE *mihi nouus hic ardor? quæ flamma medullis*
Æstuat, & placidam abrumpit veſana quietem?
Pierios ſupra colles, Phœbique receſſus
Mentis inops rapior, cunctantemque vrget Apollo
Rurſus adire nemus, vetereſque reuiſere fontes:
Atque exeſa iubet rubigine promere tela
Iam rude donatum, & Martem renouare periclis.
Nempe tuo exarſit Princeps Benauidie *cantu,*
Immiſſumque adytis ſenſit mens percita Phœbum.

Tu mihi Thespiades, blando sermone, perosas
Concilias rursus, tu marcida serta virenti
Restituis myrto, ac dudum delapsa reponis.
Cultorem Aonij nemoris, sacrique recessus
Agnouêre suum me iam, placidæque salutant
Te, postliminio reduces, authore, Camœnæ.
Vt te Pierio modulantem carmina plectro,
Atque Hispanorum victricia signa canentem,
Alpinas arsisse niues, tumuisse cruentâ
Strage Padum, spoliisque superbam Martis Iberi
Insubriam audiui, atque arrectis auribus hausi,
Emicuit cineres inter rediuiua tepentes
Flamma prior, veteresque excussit læta fauillas.
Emeritus sonipes iam pascua libera nactus,
Per iuga, per notos saltus, syluasque vagatur:
Si tamen infenso sonuerunt classica cornu,
Et noto incaluit litui clangore, superbum
Infremit, horrescitque iubas, & subrigit armos.
Pellæum iuuenem, quanquam inter fercula mensæ,
Durum Martis opus chelys insidiosa Timothei
Mentita abripuit, subitáque expalluit ira,
Exiluitque toris, præcepsque cucurrit ad arma
Toruum oculis spirans, & anheli pectoris æger,
Tygrim, atque Euphratē infrendens, vultuq; requirēs
Sangui

Sanguineâ Arbellam, atque immensâ Bactra subegit.
Nec secus Æacides maternâ degener arte
Virgineos inter thyatos, habitumque puellæ
Dulichiæ clangore tubæ sibi redditus arsit,
Ingemuitque virum confessus, quod nisi scisses
Deidamia tui custos malefida pudoris,
Græcia nescisset, nec Troia experta fuisset.
Sic me, sic, claro prognate è sanguine Regum
Didace, quos æquat Legio Mauortia cælo,
Torpentem, ignauumque tuæ incendêre Camenæ.
Macte animo perge Hesperij discrimina Martis
Laudibus efferre, & cantu celebrare nepotes
Argantoniacos. O si te prisca tulissent
Sæcula Mæonij vatis? meliore, superbæ
Creuissent Thebæ, cecidissent Pergama plectro.

De Vercellarum Vrbis expugnatione
AD EXCELLENTISSIMVM DOM.
D. DIDACVM DE GVSMAN,
MARCHIONEM DE LEGANES,
in Mediolanensi statu Supremum Moderatorem
PANEGYRIS.

CONTINVANT *Superi manifesto Hispana fauore*
Arma, per Ausonias pugnantia fortiter oras
Tollere, successusque nouis successibus implent.
Prodiderat, nec dum celebres Insubria pompis
Festiuis plausus, & adhuc præcincta recenti
Tempora gestabat Lauro Guzmanius Heros,
Vltus agros, Lomelina, tuos, Bremoque recepto
Sub legem, immanes metuendus miserat arces:
Cùm varios rerum motus, noua semina belli
Instauranda videt, requiemque perosus inermem
Imperat hybernis equites, atque agmina duci.
Nunc age Calliope, qui signa sequatur Ibera
Euentus, quæ consilijs, quæ gloria Marte
Parta refer: quem nacta Ducem Tartessia virtus
Tanta subalpinis expugnet mœnia terris;

Tu

Tu modò Guzmanidũ columen, laus inclyta[3] Gaspar
Telluris, ditat quam Bætis oliuifer vndis,
Gratia si magni te prætulit æqua Philippi
Pondera vt Imperij subeas immensa grauantis,
Alcidesque iuues validis Atlanta lacertis
Ferre tot, ac tantis concussum partibus Orbem,
Accipe[4] cognatique decus, pugnasque tuorum,
Quas licet exiguis iussus perstringo camœnis;
Pellaci nec voce tuas blanditor ad aures
Accedo: spirant veras præcordia grates:
Auspiciis vbicumque tuis, vigilique labori
Quicquid pugnamus, quicquid fœliciter actum
Debemus, meritisque tuis Rhamnusia donat.
Tempus erit, cum digna piæ conamina menti
Succedant, fessasque diu pax aurea gentes
Sanciat, insani post tot discrimina belli,
Gestaque confessus moderaminis ardua iusti:
In tua prorumpat meum præconia Mundus.

Ergo acies, alasque iubet Guzmonius omnes
Acciri, nuper capto ad confinia Bremo.
Eridani vitreis madefacta Valentia Lymphias
Accipit Heroem, facilis qua possit in omnes
Esse aditus partes,[5] tacitæ sed membra quieti
Dum credit, placidoque libens dat lumina somno:

 Ecce

Ecce vagos viridi redimitus arundine crines
Visus adesse Amnis: rutilabant cornua molli
Cœrulea electro; variata fluebat ad imos
Palla pedes gemmis, fuluoque notabilis auro
Heliadum referens mutatas cortice formas
Populeo, & raptum patrijs Phaëtonta quadrigis.
Mox vltrò tales effundere gutture voces:
Hesperiæ vindex, & maxima gloria gentis,
Vtraque cui tantis tellus se debeat actis.
Nam neque ab occasu maior Titanis ad ortum
Dimicat, & totum replent tua prælia Mundum.
Ex quo me [6] *Carolus valida obsidione Coloma*
Soluit, & Insubriæ populos moderaris, & arma,
Quæ tibi facta manu, quid non Hispania gessit
Te Duce? Parmenses populatus fortiter agros.
Oppida felici cepisti plurima bello.
Vnde honor, & partam comitatur commoda [7] *pacem*
Eripuit Gallis Vallem tua dextra [8] *Telinam,*
Concilians Rhætos, & nostra ad signa reducens,
Quod nusquam spatiò vidisset Iberia longo.
Quin votis submissa tuis fortuna videtur,
Nec facinus gestis vllum Bellona negauit.
En Astam Aianus, Rupes & Aracia vinxit,
Ac formidatas Bremi fælicibus arces

Expugna

Expugnasti armis, casali mœnia [9] frænans.
Solus obesse potest inimicis Sesia ripis
Paruulus, ast tractu nimium patet obuius hosti
Perfacilis, cladem que mihi plerumque minari
Audet, & indignis collum religare catenis:
Fecisset forsan [10] paruo nisi robore ad vndas
Ticini magnos cumulaßes cædis aceruos.
Præfuit Italiæ lybicis celeberrima campis
[11] *Vrbs, Veneris fundata manu, ditasse fodinas*
Auriferas olim veteres est fama colonos,
Turrigeroque altas pertingere vertice nubes,
Et populis alias superare frequentibus Vrbes,
Quam Rosa plebeios vincit Pætana colores,
Paruulaque aëriis cedunt arbusta cupressis,
Vercellas dixere noui, dixere vetusti.
Ardua nunc vastis circumdata mœnibus extat,
Et decus haud magno retinet discrimine priscum,
Hanc pete; purpureis plaudens tibi gloria pennis
Laudibus immensum pandit præstantibus æquor.
Non facili superanda manu discrimina credas
Esse tamen, [12] duplici pariter dispendia Marte
Bina manent, totidem tandem exantlata triumphis
Digna; sed antiqui maiora laboribus æui,
Macte, nec ingenti dubita te credere bello;

Est tibi præclarus gestis, & munere primus,
Ausonijsque prior pugnis [13] *Martinus Iberæ*
Gentis Aragonius lumen, quem à matre cadentem
Excepit Bellona sinu, ferrumque vibrare
Et ocuit, laudum immensa spe pectora mulcens.
Italiæ quantus surrexit in agmina! quantus
Emicuit culypeo! quo turbine tela rotauit
Hostibus insistens, nitido vel cominus ense
Inuasit pedes, ac turbis permixtus equinis,
Castraque compleuit spolijs Insubrica opimis?
Adde quid eximij factis tua signa sequuntur
Si numero pauci, celeber quos misit Iberus;
Quos Thagus instruxit, valida quos indole Bætis
Protulit; aut Sucro polijt, vel Duria finxit
Artibus; occultisve fluens ambagibus Anas.
His præsunt clari fortissima turba Tribuni,
Quos inter celebri nomen virtute [14] *Ioannes*
Basquius armorum potiùs, quam stirpe coronæ
Ipse acri obsessos circumdabit agmine muros
Extimaque insultu capiet munimina primus
Qui populum regat ingenio, qui viribus arces
Protegat, & tantam defendat idoneus vrbem
Vercellas cum fata dabunt, neque munera Cræsi
Fabritio similes poterunt corrumpere mores,

Atque

Atque animo rigidum vincet solerte Lycurgum
Centoculo peragens curam vigilantior Argo.
Accedit simili notus virtute [15] *Sotelus,*
Cuius ego, & multa Ticinus cæde fatetur
Tinctus adhuc robur, totus quoque prædicat Orbis.
Quæ tamen ausa virûm video? quæ vulnera lædunt
Præcipuos? quando admotis sublimia scalis
Grassantur vano conscendere mœnia nisu?
Terque quaterque petunt auidè; non cura pericli
Non mortis remoratur iter; sed tendere contra
Festinant, atque ipsa gradum per funera ducunt.
O decus antiquæ, & flos præstantissime pubis
Quam bené progrederis? quamuis [16] *Garaijus absit,*
Qui te præstanti moderatus laude Tribunus
Fulget, apud Belgas etiam notissimus armis.
Deseret actutùm, quo iussus adiuit Iberos
Suffectus nostri maiora in præmia Martis.
Prætereà Hispanis sociat Burgundia vires:
Sed quanto nostri damno, luctuque tuorum
[17] *Rincurti moreris? nunquam tamen actà peribunt,*
Et solamen erit [18] *Batiuilius æmulus armis.*
Vltima narretur legio non vltima factis
Committenda [19] *viro proauis gestisque superbis*
Insigni, quem tollit adhuc vernantibus annis,

Insigni

Ingens rerum vſus, multoque peritia Marte
Parta iuuentutem veteranis prætulit, illum
Stirpe Benauidij ditio manet ampla Parentis
Materno ſucceſſor auo, iam cara tuetur
[20] *Oppida Carrilli Pintum comitata Toleti:*
Militat [21] *emeritus donec diſcrimina rerum*
Maiora auxilio fuerint in mœnia miſſo.
Tunc iuuenis decus, & genij ſimulacra ferocis
Fata petent, curſuque feret breue tempus adacto
Pugnatum, qua parte tremens ſe ſubderet hoſtis.
Cur Italæ vlterius ſubeunt obliuia gentis?
Nec fertur clara Ligurum de ſtirpe creatus
[22] *Serra Valens Doriæ Vxoris natalibus auctus,*
Qui tamen acceptis illuſtrior ictibus extet?
Infractum [23] *Caroli robur cognomine Gattæ*
Inuitat famam, ac pulchris [24] *Brancatius actis,*
Edidit æquales vix Partenopæa Tribunos.
Te quoque de primis Inſubria iactet Alumnis
Borromæe alto dictus ſi nomine Cæſar
Refferres animis illum, ni [25] *fulmine Belli*
Sors raperet primo; ſimilis ſed ſupplicat hæres.
Aſt [26] *Bolognini præſens, ac poſtera ſemper*
Attollet nomen præclaris laudibus ætas
Fornicliumique licet moderetur ſigna Tyronum.

Tradita

Tradita Germanis vexilla cohortibus extant
[28] Ægidium, quibus experientia præficit Assem
Gentis more suæ; [29] Lenerusque animosa secundus
Agmina conducit [30], Borsusque Estensia iactans
Symbola, & excelsos Mutinæ [31] Reginaldus honores.
Conspicuus validis rutilat [32] Vincentius armis
Gonzaguæ generosa Nepos vestigia pulsans.
Aluarus insigni Quignones robore fulget,
Ductorisque vices exercet vterque supremi;
Ille equitum quoscumque ferox Insubria cogit;
Hic quot ab egregijs mittit Campania pratis.
Committit [34] Moxica vagas, & Heredia equorum
Sedulus excubias, pugnamque imponit, obitque
En quales propensa viros fortuna ministrat:
Neu desit quicquid Ducibus fuit vtile magnis,
Scipiadum sæcli comitatur [35] Lelius huius.
Alfonsus decorat spectabilis infula doctum
Cui caput, excelsâ tractare negotia mente
Commodus, vtque eius tradent se mœnia pactis.
Heroem somnus pariter, Fluuiusque reliquit.
Vtque Hyperioneis cessere iugalibus vmbræ:
Poscit [36] Aragonium, placido simul ore loquutus:
O mihi præ cunctis animi, rerumque sodalis
Fide satis, socio quo prælia tanta peregi,

Qui

Qui molem armorum: tormentaque bellica ſolers
Dirigis, & melius te præcipiente videntur
Reſplendere, vigorque nouas tuus addere vires,
Et modo cum deſit peditumq; equitumq; Magiſter,
Munia tot mira cum dexteritate capeſſis.
Aſpice iam tempus belli ſtatioque parandi
Affuit, & promptis expectant ſigna maniplis.
Ni fallor reſtant Vercellica mœnia ſolum
Expugnanda mihi, nec robur detinet Vrbis
Acribus Auſonias excedens viribus arces.
Impellit cœlique fauor, Virtuſque virorum.
Bellantum, tantiſque mihi, qui noſceris actis.
Finiijt ac tacitus tantiſper reſtitit ipſe.
Martinus, toto ſoluit dein pectore grates:
Quis non alta tuæ miretur acumina mentis
Inquit, & eximias attollat in æthera laudes?
Te colimus cuncti; tuus ô Excelſe quid optes
Explorare labor; læti nos iuſſa ſequemur.
Ergo communi producitur ordine pubes,
Vercellaſque acri premere obſidione iubetur.
Nec mora traijcitur fabricato Seſia ponte,
Qui largis tenuem pluuijs tumefecerat amnem.
Circuit admotus latas exercitus arces;
Obſiſtunt, leuibuſque ſerunt certamina pugnis

Cuſtodes,

Custodes, sed versa fugæ dant terga coacti
Protinus assiduo miles muralia nimbo
Fulmina contorquet, clausaque furescit ab arce
Tutus & igniuomo prturbat castra fragore.
Sulphureis purus nebulis effunditur aër:
Nec iactus ruit immunis, cui brachia domit,
Cui caput abscindit, cui sura reuellitur ictu
Exiguo, vastis horrent spectacula campis.
Sed quantum decoris cæsis! quantum instar in ipso est
Articulo rerum? nec mentem vulnera frangunt,
Quæ lacerant corpus, nec torpet imagine lethi,
Saucius exultat, moribundosque erigit artus.
Inde superpositis fabricatur fascibus agger,
Castraque continuum circumdat idonea sæptum,
Quod latè obsessis aditum defendat in arces,
Et simul eductis præmuniat vndique fossis.
Impedit assiduo molimen Aquarius [37] *imbre,*
Difficilique manu madidæ tractantur arenæ.
Qua propè flumineas versatur fabrica ripas
Tunc alio, atque alio nostros certamine vexant
Inclusi, virtusque alacres agit vtraque partes
[38] *Fixerat obsessæ Gusmanius arcibus vrbis*
Vicinas nimium sedes, varijsque periclis
Nil veritus summos feriant quàm fulmina montes!

Castra

Castra repentinis inuadere nostra cateruis
Aggressi, multos cædunt, multosque trucidant.
Ast quantum nostri numero inferiore resistunt!
Ipseque belligeræ conspectus sufficit aulæ
Ingentes animos, validumque in prælia robur,
Vsque fugent hostem, pluresque in Tartara mittant.

Mandantur celeris numerosæ militis alæ,
Pascua quæ gregibus spolient, quæ frugibus arua
Diripiant, lataque alacres regione vagentur.
Cernere erat grauidis vastari messibus agros,
Arboribus nemus, & sterni frondosa nitentis
Munera Pomonæ iam parturientia fructus.

Ast simulac [39] *Viduæ semotas Principis aures*
Rumor adit, totamque metu perterritat aulam,
Corrumpitur celsum grauiori vulnere pectus,
Mœstaque non vno curarum fluctuat æstu;
Nec rebus præsaga deest [40] *Cassandra futuris,*
Quæ varios Cœli errores, ac sidera certis
Fixa locis, solisque vias, Lunæque meatus
Tempore primæuæ didicit studiosa iuuentæ,
Et volucrum cantus, arcanaque somnia nouit;
Ipsa nec herbarum Natura recondidit vsus.
Nulla superstitio magicis tamen artibus altum
Ausa Medusæis animum infectare venenis.

Creditur,

Creditur, ingenuo voluit myſteria corde.
Ecce per auguſtas bacchatur concita Sedes;
Qualis vbi rapitur Phœbo ſtimulante Sybilla,
Quam Tyrus, aut ſacris Cumæ ſenſere ſub antris,
Mox rabido tales molitur pectore voces.

O male fatidicas Princeps perteſa loquelas,
Et monitis auerſa Poli, prædiximus Vrbis
Excidium, ſæuus Phrygio cum Caſtore Pollux.
Quam ſibi ſuppoſuit, fraternaque ſidera lædunt
Infauſtis aduerſa notis; Deus omina mutet
In melius, validiſque tegat cum mœnibus Vrbem
Obſeſſam, ſiquidem [41] *peius nunc aſtra minantur,*
Quàm ſocero, Hiſpanus cum ſuſtulit impetus armis,
Heu quantos ſtragis cumulos, denſataque cerno
Funera Franciadum; tumulis [42] *coniuncta tuorum!*
Seſiaque, & Seruus Xantum, ſimoentaque Troiæ
Mentitus virides maculabit ſanguine ripas,
(Si quà fata ſinant) pietas Ducis ipſa iuuabit
(Quis putet?) aduerſi pronamque morabitur iram
Pugnantum in prædas, & conſulet Hoſtibus hoſtis.
Ni faciat, ciues acto in præcordia ferro
Oppetere, ac flammis video crepitantibus ædes
Extingui, & raptis hoſtem diteſcere gazis:
Nec maiora fero, quæ mens meminiſſe recuſat.

Numina

Numina mitis adi , victori deinde benigno
Vires iunge tuas, nec dedignere rogare
Fœdera,[43] *neu fratrem prorſus, neu linque Maritum*
Germanæ, totis dominantem finibus Orbis,
Sin clades proli, ac veſtris ditionibus inſtat
Certa lues ægrè longo reparabilis æuo.
Quò te fata trahunt; famulæ caput obruat ingens
Tempeſtas rerum, falſamque recondat hiulca
Terra prius vatem, vel fulmine deleat æther.
Talia dicentem languentibus artubus ægram
Et tinctam pallore genas grauis ingruit horror,
Collapſamque ſolo ſociæ erexere Miniſtræ.
Triſtis Heram tetigit ſubiti præſentia caſus;
Diſſimulat tamen imbelles ſub pectore ſenſus,
Increpat inſanam, ac ſexu maioribus auſis
Præcipitem damnat, conſpectu ſe amouet, atque.
An, ait, ætheræ deſunt oracula mentis
Præſcia? Vel fugor ſparſi per inane[44] *cometæ*
Excidium Regnis, ac damna minantia ſignans?
Sic ſeſe, ac trepidas aſtantum gnara cateruas
Decipit, ac vultu, & verbis ſpes fingit inanes.
Primùm templa petit, cumulatque altaria donis
Et potiora vouet, turbas dein conuocat omnes.
Siue ſuas, ſeu quas diuerſis Frater ab oris

Quæ

Quæ tenet, Italiæ defendere mœnia, misit,
Et bello nostros renouato inuadere fines.
Præsidijs orbare suos iubet vndique muros,
Indigenas vocat in pugnam, [45] *fraterna reposcit*
Auxilia, incusat segnes, monitisque subinde
Solicitat, dubiæque addit calcaria menti.
Italus, Hispanus, Theuto loca singula miles
Occupat, vnde Vrbi virtute, atque arte propinquet.
Obscuræ placuit sub prima silentia Noctis
Exteriora simul triplici munimina parte
Aggredi, & optatis accedere mœnibus Vrbis:
Vt data signa viris facinus suasere gerendum
Difficiles aditu moles, atque ardua miles
Insilit, ac stricto superat fulcimina ferro.
Versat vtrimque vices atrox Libitina cruentas,
Sæpe cadit victor, tandem cæditque, capitque
Custodes, stygias reliquos demittit ad vmbras:
Non ideo indecores, quid enim aggredientibus obsit
Roboris, Hispanos quæ vis aduersa retundat?
[46] *Credibile est etiam vastas si machina portas*
Vrgeret, postesque aries quassaret aënos
Læta triumphatum potuisset Iberia muros
Intrare, ac tota victrix simul Vrbe potiri
Attamen Herois prohibet clementia cladem

 Ciuibus,

Ciuibus, & certæ negat instrumenta ruinæ
Cum [47] Crescentinum Princeps festina tetendit
Sublimi qualis Babylone Semyramis exit,
Si quando populis Nati propioribus Indus
Imminet, aut subitô percellit Media bello.
Intereà oppressæ vindex [48] Dolianius Vrbis
Prouidet, ac fidis iam iam ruitura maniplis
Mœnia commendat, vili gilique incumbit in omnes
Mente locos, etiam validos excurrere portis
Præcipit, & solers conamina nostra retardat,
Proxima cum nequeant vrbi molimina multi
Exequi, & oppositis distantia parua recessus
Exhibeat faciles: excelsæ incendia turres
Per noctem ostentant, per lucem compita fumo
Subsidum poscunt, auidique pericula signis
Explorare student varijs, Dominamque monere
Cuius discessus cursu tulit arma citato
Omnia Franciadum signis adiuncta Sabaudis.
E quibus vt Proceres penetralia ad intima iussit
Ingredi, & armigerum respexit grata Senatum
Sic est orsa loqui Princeps sate sanguine Regum.
[49] *Culte Pater, veneranda beat cui Purpura crines,*
Et tu fraternos comitate in prælia gressus
[50] *Pernonide, qui præclaræ sublimia stirpis*

Reffertis

Reffertis gesta, vt nullo Pater absit in æuo;
Qui Genitorem olim, dum sceptra labentia carpit
Strenuus adiuuit; posuitque in fronte coronam.
Hic vbi calcatis marcescere Franca veremur.
Lilia germinibus, dubiæ succurrite sorti
Henrici sobolis, celebrat quem gloria Magnum,
En genus, en teneros vteri commendo labores;
Atque illis melius ditionem fata dedissent
Orbe sub Arctoo, promique sub æstibus axis:
Perpetuis, sedesque vagas, quam claustra tenere
Italiæ, ac semper certo indulgere periclo;
Primaque castra pati quoties fortuna lacessit
Hesperij Gallique manus; quâve arte furentes
Contineat Reges, stimulisque potentibus actos
Hinc, inde angusto dirimens plaga limite sistat:
Qualis vbi aduerso luctantur flamine Venti,
Nunc Ratis hos frangit motus, nunc sustinet illos;
Et tandem impulsu premitur, remisque fatiscit.
Ergo agite, ac pro me cunctas impendite vires:
Haud indigna peto, charum quando ipsa Maritum,
Qui Fortunatus colit astra micantia ciuis
Sectari Gallos, pactisque abscedere Iberis
Inuitum admonui, ac tanta in discrimina misi.
Quid non[11] pertulimus? quæ non incommoda passis

Bella nocent populis, & adhuc grauiora superſunt.
Ecce [52] *ſoror quamuis natu minor Angla tuetur*
Sceptra (nec inuideo) præponit callida [53] *pacem*
Coniugis, ac forſan [54] *læſi non concitat iras.*
Quandoquidem [55] *Mater Belgas fugitiua petiuit,*
Lætaque ſub Genero Regina quieuit Ibero.
Nil dicam vobis animos experta fideles
Subiecti Nato; tepidis ſin prælia votis
Appetitis ſegneſque horretis adire periclum,
Ægida det Pallas, gladium Bellona cruentum,
Mulciber vxoris Cellam tectura venuſtæ
Tela ſub Æthneis præſtet fabricata caminis.
Fœmineâ tractanda manu ductabo puellas
Prompta meas, validæque habitus imitata caliſtus
Termodoonteæ reuocabo ſigna cateruæ.
Belligeri ſermone viri ſtupuere ſuperbo:
Aſt vbi præſtantis dotes, ac ſymbola mentis
Immodica ſummum vexere ſub æthera laude,
Incipit [56] *Antiſtes: O magno digna Parente*
Progenies, noſtri Decus admirabile ſæcli!
Quæ ſexum anteuenis meritis, virtutibus annos
Exuperas, æuique prais monimenta vetuſti
Adſumus en, iuſſiſque tuis parere venimus,
Non opus eſt quanto præ cunctis ardeat vnam

Te

Te tuus affectu Frater memorare, nec vnquam
Officijs deerit sublimis gratia vestris,
Qua decet, & fas est; tota quod mente precamur,
Vt credas, subeatque altum fiducia pectus
Nostri animi; noc plus æquo te subtrahe Natis;
Francica seruabunt Vercellas arma repulsis
Turpiter Hispanis; vel iam dominantur in Vrbe,
Quod minimè credam; vel adhuc se sustinet acer
Murorum vindex: tamen hæc me cura fatigat,
Quod nostri solo aduentus rumore paueScant,
Admotaque vltrò trepidi obsidione recedant,
Et Gallos elapsa viros Hispania priuet
Plausibus, & celebres adimat superata triumphos
Ante decus pugnæ, nec enim Victoria tanti est
Marte carens, splendetq; minus sine sanguine bellum.
Sin nostras male consulti expectare phalanges
Atque alas equitum validas non viribus æquis
Maluerint longo rabiem satiabimus haustu
Sanguinis, & multo sumemus funere pœnas.
Sic iacit igniuomas verbis, oculisquè fauillas
Feruidus, indignoque irarum percitus æstro.
Haud quaquam gratâ Franci capit aure tumentis
Villa sonos, primis belli Villa ille Sabaudi
Muneribus functus, mitique modestior ore

Pauca refert; animam si fundere oporteat istam
Pro te, pro Nati summo dominantis honore
Sum præsto, ac vexilla viri, qui vestra sequuntur.
Sed neque subijciat commissam inglorius Vrbem
Hispano, gener haud fœdis Dolianius actis
Cognitus; atque utinam pubes sic Francica nostris
Assistat cœptis, ac non dum fata Sabaudum
Destituant, spero sucurrere mœnibus Vrbis,
Et victos validis hostes auertere castris,
Ista palam profert, dubio rem corde volutat
Virtutis memor Hispanæ, certusque pericli.
Vocibus his simul erecti, facto agmine tendunt
Vercellas, nostræ denso, quas turbine vexant
Tormentorum acies, muri cortina valentis
Quassà labat, crebris confringitur ictibus agger.
Auulsam ast intus nunquam defessa iuuentus
Instaurat molem, & conatus reddit inanes,
Clausus ab inceptis persæpe laboribus arcet
Nos, etiam pauci certamina magna capessunt.
Ille duces, atque ille duces iugulatque capitque
Atque manu Mauors æqua dare præmia gestit
Quamlibet immitis. Sic se fortuna gerebat
Ancipiti subnixa rotâ, cum visa Sabaudæ
Agmina militiæ Francis permixta cateruis

Prolixam

Prolixam dimenſa viam legere refertum
Proceris nemus arboribus, latus ardua dextrum
Sylua comis, læuumque tegit viridantibus vlmi.
Frondigeræ denſo vallatur ceſpite tergum,
Proſpectus à fronte patent, ſic fortia figit
Caſtra ſatis, ſubito quæ ſerius aggere firmat,
Vt tormentorum aſſiduos eludere iactus
Poſſit, in oppoſitum quos mittere pergimus vſque
Cernentes turbam cadere hinc, cadere inde frequẽtem
Vno raptam ictu, quem tempore verſat eodem
Fulmen idem, dat equos crebrò, dat corpora letho
Cæſorum, ſternit confuſa cadauera campo.
Intereà certamen eques qui mobile nectat
Præcipitur, partimque fugat, partimque coërcet
Compedibus, metuitque minus, quàm territat hoſtem.
Quin etiam vexat, victumque vehentibus acer
Occurrit, pellitque ferox, variæ vè reportat
Ingens annonæ pondus, multiſque necatis
Exuuias trahit, & prædâ lætatur opima.
Præcipuum non ceſſat opus, vel cura laboris
Addita cunctatur tanti, nec præterit vllum
Officium, aut Vrbem contra, ſeu ſpectet in hoſtem.
Quippè tot imponens [58] *Martinus munia paſſim*
Partibus intentus cunctis augere videtur

 Bellan

Bellantes, præstans adeò solertia prodest.
Ter matutinos Aurora retexerat Ortus
Purpureis prouecta rotis; ter pulchrior arma
Conspicit, & speciem virtutis lustrat Iberæ,
Lunaque crescenti resplenduit aurea cornu
Lucidior solitô, robustæ facta iuuentæ
Per totidem mirata dies, cum versa malignum
Exhibet aspectum Hispanis contraria castris.
Seu populum fortasse suum in discrimine summo
Versantem voluit furtim Cytheræa fouere,
Participemque doli noctem, scelerumque latentum
Instruit, auxilium [59] tenebris commendat amicis
Est locus obliquos voluens vbi Sesia cursus,
Quique venit seruus breuiorem paruulus amnem
Prata vago latè cohibet viridantia gyro:
Non manus Artificum; non magno industria sumptu
Instabilem munire situm fluitantis arenæ
Sat poterat, fractoque labor iacet irritus vsu.
Huc inimica phalanx varijs diuisa maniplis
Aduentat, primos equitum comitante caterua
Accedunt litui, & fallacia classica ductant.
Arma cient vigiles, properans petit arma iuuentus
Extemplò, varius venit in certamina miles,
Cum partem minus instructam sortita latenter

Accipit

Accipit obsessus sine vi, sine vindice murus
Agmina nequicquam populum tectura labantem.
Ærea festiuos affectant Cymbala plausus
Actutum, clangorque tubæ respondet ouantis
Miles Io vano, Pœanaque murmure miscet,
Turpia vulgari iactat conuicia voce.
O Hominum ignaræ mentes, quis decipit error
Credere subsidio! Xerxis numerosa darentur
Agmina si vobis Pellæo ducta Tyranno:
Mitteret Annibalem Carthago; Roma Camillum,
Hectora Troiugenæ; Palamedes ferret Achillem,
Frangeret illorum vires Guzmanius Heros
Viribus, & cunctas eluderet artibus artes.
70 *Visit eques, visitque pedes sua castra frequenter;*
Spemque animumq; vehit vultu, verbisque benignis
Confirmat dubios, animosos laudat, inertes;
Corripit, & dignis alternat præmia pœnis.
Tunc ait, ô Iuuenes, trepidam deponite curam,
Vt reor, adiunctis crescet Victoria rebus,
Additus obsessis quanto bellator honore
Afficiet nostros titulis certamina iustis
Gestantes, cinctamque Vrbem obsidione tenentes.
Nec tulit ambitio Hispanas ad mœnia vires;
Reddendæ sed pacis iter per tela, per ignes

Quærimus, arcendis desudant prælia bellis.
Nostra fatigatum tandem concordia mundum
Vt reparet, quoties magnis assueuimus actis?
Mitia conatus duxerunt Numina semper
Hactenus Hesperijs habitauit gloria castris.
Numquid fœlicem vertit fortuna tenorem?
Quod licuit mea cura dedit; nec defuit vnquam
Gratia virtuti, nec segnibus ira pepercit:
Nunc quoque prouidi rebus, casusque futuros
Præmonui, multósque dies, quæ pascere possint
Militiam iussi seruari pondera victus.
Dum fluuij crescunt niuibus de monte solutis,
Ac patet innumero superatis Alpibus hosti
Tractus in Italiam; nec si populosa colonis
Gallia vastetur nostram domitura phalangem
Imparibus dubitem contundere viribus illam
Pectoribus fretus vestris, ac numine Diuûm.
His dictis allecti animi; mox prompta locari
Mandat in oppositum numero tormenta minori
Bis septem fractura, hostis quibus ille labores
Horrificos Brontis, fulgurque imitatur Olympi,
Tempestas agitur iaculis, atque occulit auras
Pulueris aspersas pyrij nigrantibus vmbris.
Nequicquam impauidos terret tamen Insula telis

(Hoc

(Hoc illi nomen circumfluus indidit amnis)
Obsita fulmineis ardentes despicit vndas.
Quippe nec obsessi cessant displodere iactus,
Inuicti quo tanta Ducis constantia plectro
Personet; egregias deceant quæ carmina laudes?
Ire equitem iubet in prædas, peditemque propinguis
Mœnibus instare, ac cunctis assistere factis.
Indefessus amat, populumque hostemque fatigat,
Tot pariter sparsos nunquam superabilis vrget.
Quo lassum facto Virtus rapis æmula vatem?
Dum iuuat interpidam clausis excurrere muris,
Et nostras tentare acies, nec grandius vnquam
Ausa decus? forsan potuisti absoluere bellum
Ardua ni miris obstaret Iberia gestis.
Purpureus medio radiabat Delius axe,
Et nusquam fuscas pandenti tegmine nubes
Conspicuum nitido rutilabat lumine Cœlum
Visurum pugnam, & pulchri discrimina Martis.
Exultat sonipes scythicas imitante pruinas
Spumarum nimbo, quem proijcit ore lupatum;
Sessor ouat longos religatus casside crines.
Parte cohors aliâ mouet improuisa maniplos,
Et peditis numerum circumuenit acris Iberi
Exiguum, sed magnum animis, qui cuspidis ictum
Sustinet.

Sustinet immotus fixa, licet ora cruentet
Contra hastas, contra arma ferox persistit anhelo
Pectore, ceu Pœnum venabula torta Leonem
Infigunt, validos violentior excutit armos.
Sic sese Miles rabie irritante gerebat
Hispanus: iamque hos cedit, iam dissipat illos,
Confligens veluti rigidis Iouis armiger vncis
Vulgares volucrum pellit vè, ferit vè cateruas.
Ex nostris etiam mortem pro laude pacisci
Coguntur, multos etiam fera spicula lædunt;
Ingnoscunt alijs; nec eques perpessus inultos
Aduolat, obliquoque ciet certamina cursu
Haud Tygri absimilis, catulos dum quærit ademptos
Ferratum paruo iaculatur turbine fulmen
Dextera, certantes fugiuntque fugantque vicissim
Quis celerem insequitur, tardum quis corripit ense?
Plurimaque infligit non vno vulnera telo,
Nec de plebe cadunt, primos demittimus orco.
Cæsorum confusa virum, confusaque mixtim
Corpora quadrupedum, phaleras, habitusque decoros
Sternit humus Tyrium corrumpit purpura cultum
Sanguine,[61] *callaicum non lampada suscitat aurum*
Puluere fœdatum, rutilos extinguit honores
Cæde chalybs, perdunt decus ornamenta superbum:

Non

Non vox exprimitur, non certa ſilentia latus
Campus habet, raucum ſonitus deducit ad aures
Murmur inacceſſus, gemitum, fremitumque ſuſurro
Languor, & ira mouet tenui. Cur tanta tuorum
Funera luminibus confidentiſſime ſæuis
Franciadum cernis? nec fugit Iberia famam
Ecce tuam: breuior diſterminat agmina limes,
Quam creſcentini coleres cum mœnia coram
Principe nequicquam tumidis aſtante loquelis;
Heus age, & ad ſacros iterum conuertere ritus.
Non te bella iuuant; poterit ſed forſitan ipſum
Excuſare Ducis virtus, fortunaque noſtri,
Qui nondum tibi notus erat? nec prælia ſegnis
Conferre aduerſa Hiſpanis temerarius aude,
Præſertim Auſoniæ fatalibus excita terris.
Nulla dies cunctis longus momenta ſub horis
Solſtitio remorante iubar ſine ſtrage peregit
Gallorum, obſeſſæque vrbis, quæ tempus humandis
Corporibus poſcit, ſuſpenſaque funere pugna eſt
Militis alterius, ſolo iam mœnia vallo
Contenta, Hiſpano quicquid telluris obibant
Submiſere iugo, nec iam patet amplius hoſtis
Hiſpanum fugiens, damniſque ſubinde receptis
Exactus varijs mutat tentoria campis,

Nullaque

Nullaque tuta putat; dextri velut aucupis ales,
Quæ timet insidias, nidis loca cuncta parandis
Quæritat, hinc rapuit paruos industria fœtus.
Hic alias suspendit aues; hinc pabula furto
Eripuit, densis illuc agitata sagittis
Concidit in præceps, vel læsa sub arbore sedit.
Maiores in Marte moras tolerare nequibat
Hispanus, cui non vnus iam sufficit hostis,
Gallorumque fugam sentit, ni mœnia rapto
Insultu liceat, totosque ascendere muros.
Qui fiat? labes submotæ parua ruinæ
Hactenus ascensum præbere negabat in Vrbem.
Ardua præcipiti grassatur tramite niti
Gloria, difficiles Rhamnusia suspicit ausus.
Cur non eximijs permissa licentia votis,
Virtuti quis claudat iter? per lubrica figunt
Fundamenta pedem: sunt qui vestigia iniquis
Committant scalis, nec aquis restinguitur ardor
Tranantum riuos, fossasque fluentibus vndis.
Pergenti tutela nocet muralis, ab omni
Parte iacet trifidos ardenti grandine nimbos,
Saxaque vibrantur puerilibus apta lacertis;
Vel fortem fractura virum, accedentibus hasta
Imminet, aut rigido gladius mucrone coruscus

Non

Non mortis facies, seriesve inopina malorum
Supprimit audaces, tacta tellure vigorem
Antæo similes capiunt, & forsitan Vrbem
Arriperent, tali firmarant robore pectus,
Tantaque feruentis stimulos dabat ira furoris.
Sed pius vsque hosti, veritus quoque plura suorum
Damna, supersedeant, Gusmanius imperat, & sol
Christiparæ sacrum occiduas flectebat ad vndas
Lumen, & occultos Heros de more Penates
Solus adit, Diuamque humili prece pronus adorat.
O superum, mundique iubar, Pia Virgo, Tonantis
Alma parens, longos hominum miserata labores
Æternum! modo mitis ades, nec deme fauorem
Militibus, sontique Duci, qui signa guberno
Ista, sed auspicijs nati sub Numine vestro
Semper honorata, & magnis assueta triumphis
En hodie quosdam casus subduxit acerbus!
Criminibus merui, rapidis indulsimus ausis
Diua nimis, fateor, pœnasque rependere fas est.
Sed turbis ignosce tuis, mentique Philippi
Iustitiam, ac pacem toto certantis in orbe
Reddere, natalesque tuos, nomenque sacrantis,
Quodque placere tibi scimus, ceruicibus enses
Abstulimus Populi, ac miseram seruauimus Vrbem.

Dixit,

Dixit, & Ambrosio perfundi lumine sensus
Interius videt, & spes affulgere secundas:
Cum Gallum igniuomis turbabat glandibus actus
Andreæ Dominus, qui propugnacula Diuo
Sacra tegit, populumque dolo comprendere iussus,
Cætera conspicuus factis, qui duxit in Vrbem
Cognatas per noctem acies, sic æqua ruinam
In caput Authoris conuertere fata notantur,
Membraque supponit Tauro torrenda Perillus
Intereà nostri, quoniam interclusus ad arces
Ascensus fuerat, rimantur dum cauatis
Fornicibus sola dædaleas imitata latebras
Atque strues nitro fœtas, & sulphure pergunt
Moliri subter, tonitru, flammisque timendas.
Esca focum accendit, celeri vi erumpere in altum
Machina festinat, firmosque euellere muros,
Sed leuiter labefacta tonat, residetque priori
Mota loco, rursusque suis compagibus hæret.
Defendunt superi populum, indulgentque benignis
Herois votis: cernit iussa irrita lætus.
Tantus inest amor aduersam non perdere gentem!
Quid faceret Propriæ! Patrios seruasse penates
Impositumque humeris Troiâ eripuisse Parentem
Æneæ pietas toto celebratur in Orbe,

Quantum vis

Quantumvis Turno vitam, veniamque precanti
Immitis victo sub pectore conderet ensem.
Quem tibi pro meritis, Heros generose, dedissent
Maiores plausum? seruanti debita ciuem
Serta ferebantur, nunc quot tibi debeat Hostis,
Cum iam semirutum, mediisque è faucibus Orci
Non dubites auferre libens? erat acer in acta
[63] *Dira Benauidius pugnandi sorte Tribunus.*
Plura foraminibus molimina cudere cæcis
Ambages complexa nouas, maiora repressi
Semina Vulcani, vastisque à sedibus arces
Diruere intentus, validisque subire maniplis
Pone minabatur legionum turba sequentum
Ausoniusque suis horrentia partibus arma,
Germanæque acies tulerant, ceu sæua voraces
Ira lupos ciet vt prædæ insidietur habendæ
Cum petit inducias hostis quæ certius vrgent
Excidium Hispani obsidibusque vtrimque receptis
Gaudet honorificis belli sub legibus æqui
Cedere, nec meritum Guzmanius abnuit Heros
Supplicibus decus, & grates ad Numina reddit
Incolumem expugnasse Vrbem. Sic robore, & alta
Arte vigens animo regere ardua fata videtur,
Fortunæque potens non repperit, inuenit acta.

D D.D.

DD. LAVRENTII RAMIRESII, à Prato Potentissimo Hispaniarum, & Indiarum Regi Philippo IV. Magno à supremis Iustitiæ Consiliis,

In Nuptias Authoris cum DD. Anna de Sylua.
Anno 1654.

SIs Comes ô fælix, fælix sis tu quoque Sylua
Nupta licet magno, non minor ipsa viro.
Sit vobis sit semper amor, sit nullus amaror,
Nulla dies vobis, nox neque amore vacet.
Constantique calore, æterno & fœdere nexi
Ducite concordes, & sine lite dies.
Ac vestri simulachra breui date tempore Natos
Dulcia fælicis pignora coniugij.

Authoris Responsio.

Laurenti, laus supremi, columenque senatus,
Quem celebri Themidis cognomine Iberia signat,
Cumque gradus vitæ varios, ac mille labores,
Expertus, latæ ferres præconia Famæ.

Digna

Digna Tribunalis cœpisti munia docti
Regificas quod censet opes; mox illud adeptus
Orbe quod occiduo populis, ac solis ad ortum
Iussa Philippinis mittit veneranda colonis,
Nobile iudicibus specimen venientibus offers.
Te quoque Legatum viderunt Regna disertum
Gallica, magnarum tractantem pondera rerum,
Cuius adhuc animi dotes super æthera tollunt,
Iudicij, eloquijque decus miracla fatentur
Naturæ, librosque tuos Europa legendos
Suspicit vt sæcli rarum præsentis honorem.
Nec latices charitum, totoque vndantia Pindo,
Flumina conticuit cultis exhausta labellis.
Nec dubitem merita acciderent quin summa iuuentæ
Præmia; sed placidum vertit Fortuna tenorem,
Et Patris interclusit iter, domuique ruina
Institerat postrema tuæ, ni maior adesses
Casibus, & dignus virtute rependere cladem.
Quis robur memorare ausit? quis mentis acumen
Prædicet! Vt fraudes fregisti animosus iniquas,
Et validas dictis permulcens mitibus iras,
Corda Ministrorum placasti aduersa potentum?
Quæ vates maneant alios. Modò meta Camœnæ
Esto meæ, modò studio quod fundis amico,

 Quale

Quale nec Amphion potuiſſet condere carmen,
Proxima coniugij modulatum fœdera noſtri;
Auſpice quo properent admotum celſa Pyrenes
Admotum teſtata melos, ac flumine Iberus
Attonito, liquidas remoretur & Aragon vndas,
Totaque multiplices iteret Vaſconia plauſus.
Dum Pompeianas tutati fortiter arces
Vtraque diſtantis gerimus moderamina Regis.
Et pace ac bello leges munimus, & arma;
Sed tanti, neque celſus apex, aut commoda fiunt
Quam quod Oreſtis Amor, Pyladiſq; exempla vetuſti
Mutuus à noſtro venturum extendet in æuum.
Aſt Ramis nunc ecce tuis, quos ambit Apollo
Ex Prato meliore ſacris Heliconidos hortis
Nobilitas vnde ampla tibi reſplendet ouanti,
Tempora nectit Hymen, fidæque ſub arboris vmbra
Tectus & officijs vbicumque coërcitus arctis
Chara clientelæ commendat pignora veſtræ,
Pignora, quæ noua nupta ferat, vel quæ hactenus extant
Iure tenes per quot nobis Deus annuet annos.

P. GERARDO MONTANO mittenti carmina, quæ patierat Author

EPIGRAMMA.

IEsuadum vir Fama virum, quô nullus in Orbe
Bellerophonteas largiùs hausit aquas.
Dum reuocas numeros, desuetaque barbita plectro
Pierium habili pollice tangis ebur
Quis fluit ore Lepor, quô carmina nectare manant,
Quis te Meonidæ non putet esse parem!
Macte decus nostris macte inclyta gloria Belgis,
Teque Suada vnum, teque Thalia canat.

Quo viso Epigrammate P. DIDACVS OQVETE condiscipulus olim Authoris sumpsit ansam mittendi carmina, quæ sequuntur.

NOs quoque iam pridẽ vocales liquimus vndas
Permessi, santosq; lacus, Phœbumq; Nouemque
Pieridas, collemque sacrum, superardua cuius
Pegase, Pegaseo fecisti nomina fonti,

Humida vbi manant alatæ ſigna ruinæ.
Et iam Pimplæas impellere pollice chordas
Dememinit deſueta manus; nec carmina venâ
Deficiente fluunt: ſubit ignorantia mentem,
Quæ male muſarum ſtudijs deſueſcit amœnis
Et pudet, & fateor me magno crimine muſis
Eſſe Reum, ſtudijs qui ſe inſpirantia noſtris
Numina deſerui, doctumque Helicona reliqui,
Pro quibus infenſas mihi. (Docte Gerarde) camœnas
Concilia, facileſque tuo modulamine redde:
Dum iuuat Oceano laudum dare vela tuarum.
Muſarum ſublime decus, cui culmina Pindi
Serta ferunt, cumulantque ſacras in præmia lauros.
Vt te magne canam, cantuque in ſidera tollam,
Non te magne canam; ſed eum præconia cuius
In tua cum grandi præconia laude redundant.
Nempe ſui fructus laudes ſibi vendicat arbor,
Quæque ab Apellæa viuentibus arte tabellis
Laus datur, Artificis raros commendat honores.
Haud aliter, perdocte, tui ſi pignora cantem
Rara Magiſterî, ſi dextro Numine Phœbi
Laude Benauidium cumulem, qui gaudet Alumnus
Carminis eſſe tui, tua gloria creſcet in illo.
Nam qui diſcipuli laudes canit, ille Magiſtri

Dogmata

Dogmata commendat, nec fas ſecernere nomen
Huius ab illius fama, cumque alter ad aſtra
Effertur, geminatur honos, & creſcit vterque,
Iunctaque diſcipuli laus eſt cum laude Magiſtri.
Magna quidem debet tua Muſa Gerarde putari
Muſa Benauidio quæ ſeſe iactat alumno.
Hic quoties loquitur numeris facunda ſolutis
Verba, diſertiſonans educens gutture voces
Facundum Cicerona refert, quotieſque cothurnum
Sumit ouans, ſumpto Maro creditur eſſe cothurno.
Quid? cum ſuadet amor, charumque ſalutat amicum,
Seque mihi miſſis compenſat verſibus abſens.
Quàm dulces elegos! quam dulcia carmina mittit?
Quámque præit verſu cunctos Heliconis alumnos!
Hæ tibi ſunt laudes; Patrem, ô Doctiſſime, Muſæ
Eſſe Benauidiæ, numerumque augere nouenum
Pieridum, decimumque ſacro decus addere Pindo.
Nec verò famæ tantum peperiſſe refertur
Phylliridæ quondam cythara præfectus Achilles,
Ingenua quamuis euaſerit arte peritus
Depoſita ruditate puer, moreſque feroces
Exuerit, tuleritque viri ſimulacra politi;
Quantum diſcipulus laudis parit iſte ſupremæ,
Magne Gerarde tibi; nec ſi mihi nulla fuiſſet

Doctrinæ pars nota tuæ doctrina lateret.
A Magno possem Magnum te noscere: Nam quis
Discipulum Magnum Magni negat esse Magistri.

EXCELLENTISSIMO

DD. LVDOVICO DE HARO,

inter Ministros Regios Principi ad Potentissimum Hispaniarum Regem Philippum IV. Magnum, vt commendet versus de Ilerdensi recuperatione aduersus Gallorũ exercitum. An. 1643.

EPIGRAMMA.

L. D. C.

O Procerum vir Fama virûm, quo nullus Iberis
Finibus Aonias largiùs hausit aquas.
Indoleque ac miræ præcellis acumine mentis,
Quotquot & Aula capit, quotquot & Orbis habet.
Cumque vel à teneris propensum exceperis annis
Gratus, & obsequijs faueris vsque meis.
Has precor admittas aliquâ modo parte Camœnas;
Alloquio

Alloquio Regis nam propiore vales.
Scimus enim tibi quanta libens arcana recludat,
Imperij & curas te minuente leuet.
Castraq; lustratum (dum proximus imminet Hostis)
Nouimus haud faciles ire, redire vias,
Ac Domini iussu dubitandi abrumpere causas,
Vincentem monitis ardua quæque tuis.
Ergo sub imparibus, quæ versibus ordior arma
Protege, nec plectri despice inertis opus.
Munera parua feram, sed munera parua Tonanti
Vt iuuat affectus sæpe placere solent.
Nostra potens hilari si respicit ore Philippus,
Numinis in terris instar adepta rear.

De Ilerdensi Recuperatione ad Potentissimum Hispaniarum Regem PHILIPPVM IV. Magnum.

ELEGIA.

MAgne Philippe decus cognomine clarius amplo,
Fataque habes meritis inferiora tuis.
Ipse licet præsis Boreæ metuendus, & Austro
Arbiter, ac Ditio sit tua solis iter

Cumque vel Heroas superes, virtutibus omnes,
Sors tamen auspicijs non fuit æqua tuis.
Dummodò tot peteris telis, quot vastus vtroque
Inserit aduersas ambitus orbe plagas,
Accessit duplex Regni iactura rebellis,
Bellaque supremis continuata malis.
Cuncta sed infractus vincis discrimina rerum,
Arduaque imposito sub pede fata premis.
Vt tua te virtus, vt te tuus impulit ardor
Sumere fœlici bellica sceptra manu.
Diffundunt latos vbi Berbegalia campos,
Culmina Auentinis anteferenda iugis.
Planitiem paßim Laurus fœcundat ouantem,
Cingere pugnaces ambitiosa comas.
Quocumque ingrederis Charites comitantur euntem,
Mutuaque alterni pignora amoris Amor.
Addunt se Comites Pietasque Fidesque tuorum
Corda reluctantum conciliare potens.
Non alas, non axe sedens percurris eburno
Agmina sed solitò conspiciendus equo.
Cura superuacuos neglexerat anxia cultus
Corporis ingenti fisa decore tui.
Maiestas mollit radios Augusta seueros,
Et facili nimium temperat ore iubar.

Spem

Spem Vultu reuocas, & honos, & dona ſequuntur,
Patrandis merces nec ſua rebus abeſt.
Prodigis iſta quidem, tua ſat præſentia tantum
Quam potiora ſibi commoda miles amat.
Et vigor Hiſpanis, & auitæ gloria gentis,
Extinctuſque diu fulgor in arma redit.
Nec mora Gallorum, Catalaunorumque recento
Vernantem Sycoris ſtrage cruentat humum.
Deinde cadaueribus cumulata rebellibus Anas
Luſiadum tinctus ſanguine prata rigat.
Millibus hinc cæſis, captis hinc millibus extant,
Vtraque inæquali parta trophæa manu.
Quæ tamen heu dubijs turbant diſcrimina rebus!
Quantaque non vno damna labore manent?
Conſilijs incerta Tuos ſententia verſat
Et cauet ambiguas ſolicitudo vices.
Paruus adhuc, quamquam validis exercitus armis,
Nuper & oppreſſo fortiter hoſte tumet.
Aſt impar numero, geſtis neque grandibus aptus.
Viribus oppugnet mœnia, ſiue fame.
Scilicet aduerſas cuſtodia munijt vrbes,
Præſidijs poſſent quæ ſupereſſe diu.
Fertur & accitis cladem reparare maniplis,
Ac pugna ereptis addere Gallus equos

Nos

Nos velut externis pugnare videmur in oris,
Contra illi populus suppetit omnis opem.
Paret, vbi & studijs prouincia gestit amicis
Certatim officijs gratior esse nouis.
Hinc nitor armorum, nec qua pretiosius vllum
Fama bonum, hinc etiam fama salutis obest.
Cuius ab euentu columen, tutelaque pendent
Regnorum: nam te sospite cuncta vigent.
Arcta nec immenso sedem Fraga Principe dignam
Exhibet, & tetro Cinga vapore nocet.
Qui limô grauibus prælabitur obsitus vndis,
Admoto Procyon cum ferus igne calet.
Tanta sed inuictis calcas dispendia plantis,
Quodque negant reliqui, tu modò solus adis.
Alta vices rerum constantia ridet iniquas,
Enthea non domito mens adamante riget.
Nescia dedecoris nullis obnoxia fatis
Inclita conseptum gloria pandit iter.
Te Duce maiores veniunt in prælia vires,
Vastaque bellator munia lætus obit.
Imperijs animata tuis munimina surgunt,
Thebanæ resona certius arte lyræ
Plurima connexis religatur cymba catenis,
Et gemino Sycoris ponte coërcet aquas.

Vndique

Vndique continuus complectitur agger Ilerdam,
Obsessis vllam ne ferat Hostis opem.
Bellica diuersas alternat fabrica formas,
Pro vigilum numero, pro ratione loci.
Inde receptaclis, longo obsidione, parandis
Insudat celeri sedulus arte labor:
Hæc radios stellæ species imitatus acutos,
Altera cornutum latior auget opus.
Forcipis illa notam; mediæ hinc munimina Lunæ
Plura tenent nomen pluribus apta locis.
Hinc varius tormenta locat suggestus in vsum
Castrorum accessus quæ prohibere queant.
Præterea infensis haud longe Arx dissita muris,
Non nisi prolixo tempore fracta cadet.
Grandibus, aut modicis oppugnant agmina telis
Quamlibet, & nullâ Machina parte vacat.
Nec vallum cessat penetrare cuniculus imum,
Nitrati vt quassum pulueris igne ruat.
Gardeni nomen turri rudis indidit ætas;
Sed celebre in sera posteritate magis,
Quam, Babylon, celebrisque Pharos, Memphisque fe-
Et Nilus sycori cedere dignus erit, [runtur,
Acribus immensi dum Principis obstitit armis
Quæ procul Eous, occiduusque tremunt.

Nec

Nec raro, aut paruas contendit Gallia vires
Ducere in Hispanum non tamen ausa fuit
Hactenus intrepidos præsentia terruit, atque
Maxima Regnantis cura, vigorque Ducis.
Cui nouisse parem, qua Sol oriturque caditque
Sæcula curriculis non potuere suis.
Sic animi robur, mentisque sagacis acumen
Virtutum eximijs perficis vsque notis,
Facta, quibus veterum reuocas Heroa Parentum,
Seu iuuet Hispanos, Austriacosque loqui.
Reddis Auum prudens, Proauum fortissimus æquas,
Te Pater insigni nec pietate præit.
Ergo coacta fami succumbit Ilerda prementi,
Auspicijs potius seu tremefacta tuis.
More triumphantis captam deuectus in vrbem,
Ciuibus indulges, militibusque faues.
Atque Panomphæo laudes iterare Tonanti
Pergis, & obstricto pectore vota refers.
O quanta in casus rerum momenta futuros!
O quanta Imperium gloria vtrumque manet?
Quale apud Hispanos, Italos, Belgasque tueris,
Oppositique Poli quale sub axe geris!
Spe recreas proprios, formidine concutis hostem,
Et canitur toto nomen in Orbe tuum.

Tristis

Tristis adhuc tantis respirat Iberia cœptis,
Mortali maior conditione nites.
Iamque diu infectos submittet Barcino fasces,
Pronaque suscipiet cum ditione iugum.
Spero equidem. Quævis tibi perfidus abstulit error
Actutum sceptro restituenda tuo.
Nec minus externi quicquid violentia Martis
Creditur ac varius subripuisse dolus.
Tunc populis latè domitis, dabis otia Victor,
Amissaque fines prosperitate frui,
Quid precer! è nostris Lachesis tibi suppleat annis
Stamina; pro cunctis nam satis vnus eris.

P. DIDACI DE OQVETE, Societatis IESV ad Authorem Epistola.

INclyte, qui reliquos excellis culmine, quantum
Armiger attollit se Iouis inter aues.
Qui Benauidiæ fulcis fastigia Gentis,
Et qui Bastanam fers super astra Domum.
Si te Musa iuuat: carmen modulatur Appollo;
Si te Bella vocant: Cæsar in arma ruit.

Accipe

Accipe compositum subitâ dictante Thalia
Carmen longinquum quod tibi portat Aue
Iuimus ad puræ veneranda Rosaria Matris,
Ex quâ morbificam traximus æde luem.
Propterea alterius pararatur epistola dextrâ;
Ardet enim nimiæ febris ab igne iecur.
Nam via difficilis surgentibus aspera saxis,
Et Phaëtonteis templa perusta rotis.
Iniecere meis incendia tanta medullis,
Vt neque nocte quies, nec mihi luce foret.
Sed via, sed salabræ, sed templa perusta Mariæ
Fecerunt etiam vertere terga malum.
Non secus ac quondam (si vera est fama relati)
Vulnus & auxilium Pelias hasta dabat.
Lux aderat nomen referens illustre Mariæ:
Tunc dixi: febris cede, Maria iubet.
Morbus abit, membrisque quies illabitur ægris,
Augeturque nouo cepta vigore salus.
Tunc ego Christiparæ votum solemne quotannis
Instituo, & vetitis os prohibere cibis.
Nec similem casum populum cœlare frequentem,
Deque Mariano nomine mira loqui.
Ergò ego iam valeo, & Nomen cœleste Mariæ
Ægra salutifera membra leuauit ope.

Auget

Auget adhuc donum, partique medetur vtrique,
Atque animam releuat crimine, membra lue.
Scilicet illa manû duo munera præstat eâdem:
Liberat à morbo, liberat à Barathro.
Euge salutiferum tollamus ad Æthera nomen,
Vnde salus animæ; corporis vnde salus.
O quot virtutes nomen complectitur istud
Mel quod in ore sapit, fit quod in aure melos.
Te quoque non adeò firmâ reor esse salute,
Sed poteras monitis conualuisse meis.
Si cupis vt læto currat tua vita tenore
Implora supplex Numinis huius opem.

Authoris Responsio.

I*Esuadum doctos inter, doctissime, cœtus*
Mente Sophos recolas, carmine siue melos,
Ingentique alios excedis acumine quantum
Sol superat reliquas igne micante faces.
Quam subitò nostras rapuit tua Musa Camœnas?
Iussit & insuetam sollicitare lyram.
An modò pacatum Mariæ præconia Numen
Quamlibet, & gracilis postulat artis opus?
Nuper vt affecto cessit de corpore morbus,
Christiparæ acceptum quem tibi sede refers.

Dum Phaëtonteis flagrant penetralia flammis,
Actaque continuis æstibus ardet humus.
Sed neque ab admotis venisse caloribus illum
Crediderim, potiùs te tuus vssit amor.
Ille suis auidam superat fornacibus Æthnam,
Solis & igniferas corde tepente rotas.
Accensas pietas non extinguenda medullas
Corripit, atque animum nocte, dieque premit.
Quis dubitet? sacros quod agat calor acer amantes,
Fortius ac lædat languida membra lues?
En tibi succumbunt incendia tanta precanti,
Et redit amissus corpus in omne vigor.
Quin etiam supplex ieiunia vota quot annis
Offers, & licitis abstinuisse cibis.
Gratulor, ac tecum meritas ad Numina grates
Contendam, & mirum ferre sub astra decus.
Clara Mariani præconia nominis extent,
Quò leuat, aut fessas sol lauat Orbe rotas.
Proxima patrati memoretur Gloria facti
Quàque merere Pius: quàque Maria fauet.
Vltima per cunctas resonent Miracula gentes,
Maior at ex illis gratia rebus erit.
Nam pro seruato quantum debetur amico
Contigerit vitam si dare, parua dabo.

Tuque

Tuque adeò longos hominum miserata labores
Immensi Genitrix Virgo Tonantis ades.
Pone malis certum post tot discrimina finem,
Quæ nullâ minui posse videntur ope.
Tu supple studijs quicquid mortalibus obstat,
Ne recidant Nati fulmina torta manu,
Iam dudum Vindex sontes quibus excitat Vrbes,
Austriacâ quotquot sub ditione iacent.
Te Dea, te populi precibus, votisque frequentant,
Respice quam supplex te veneretur Iber.
Deque suburbano reuocare ad mœnia Templo
Gestiat, & donis terque quaterque beet.
Solare Imperij dispendia bina rebellis
Ciuibus in ciues prælia mixta suos.
Turpius intrusos aliena in sceptra Tyrannos
Concitaque in sacrum Principis arma caput.
Obsessam Hispanus tueatur miles Ilerdam,
Dissipet auxilijs hostica castra tuis.
Aut potior miserum tandem Pax sanctiat Orbem,
Optatâ vt possint Regna quiete frui.
Tunc Tartessiacæ Regnator maximus oræ
Qui tua prostratus Templa Philippus adit.
Muneribus vestras cumulabit grandibus aras
Vndique, & æterno gratus honore colet

SOL IGNATIANVS,

HOC EST

SOCIETATIS IESV LAVDES,

ELEGIA.

LOYOLÆ *ſoboles, geſtas quæ Nomen* IESV,
Ambigit à Titulis noſtra Thalia tuis
In ſtyga Bellatrix, ſummi tuba docta Tonantis,
Quò pia Relligio tollat in aſtra caput.
Sola ſolum meritis, ceu Sol modò fulgidus ornas,
Claraque Phœbææ lampadis inſtar ades.
Sol gemini luſtrat reuoluti limina Mundi:
Omnia ſic pedibus ſunt loca tacta tuis.
Sol Pater eſt lucis: genitrix tu luminis extas.
Ambit vt hic terras: tu face corda beas.
Æſtuat admoto Tellus Hyperione: mentes
Per te diuini flaminis igne calent.
Sol noctem fugat: Obſcurus tibi pellitur error.
Aurea tu reuocas tempora: Solque diem
Vnicus incedit Sol inter ſidera Princeps:
Nec minus omne rear te ſuperare iubar.
Lethales Medicus fertur Sol pellere morbos.
Tu ſimili labes pectoris arte leuas.
Fundit germen humus Solis tepefacta calore:

Te

Te duce virtutis germine terra viret.
Nascenti somnum remouet Sol candidus ore:
In superos animo fit vigil ore tuo.
Incumbit cœno Titan sine fæce coruscus:
Inficit haud mentem lurida culpa tuam.
Delius est Sophiæ Præses, Cytharæque Magister:
Te penes omnigenis docta palæstra modis.
Sol Cyrum refouet, tenuem nec despicit Irum:
Est tuus in populos vndique fusus amor.
Imbriferæ cedunt Phœbo veniente procellæ:
Sunt hominum monitis corda serena tuis.
Pronior occiduis condit se Cynthius vndis
In te purpureum conditur ecce iubar.
Vnde rubros inter fasces Vrsine recusas
Romuleus Cardo longius ire dies
Appetis IGNATII *sacræ dare nomina Genti*
Subditus, & Tyriæ temnere dona togæ.
Omnia tentasti: linquis num Præsulis ostrum?
Non LOYOLÆIO *viuere more datur.*
Quid facis? IGNATII *pandit te Pagina: Scribris*
Degere sub tanto sunt mea vota Patre.
Iam nunc fama canens Vrsinum dicat, & Vrsum,
Qui sapit ætherei sugere mella faui
Abditus interea temnit splendentia fastus

Lumina Purpurei, dum ſacra iura colit.
Sidera nulla patent vibrat dum Cynthius ignes:
Cætera tu proprio facta nitore præis.
Orbita purpureo decorata eſt nomine Phœbi:
Deficit haud Romæ Purpura ſacra tibi.
O quoties renuis Tyrij rubuiſſe Galeri
Munere, quô ſemper dignior vſque micas.
Si tamen impellant Romani iuſſa Parentis,
Illud vt admittas, ambitione cares.
Hinc Robertus adeſt ſacrô ſpectabilis oſtrô;
Hinc eadem ſapiens dona Toletus habet:
Scilicet oppreſſus telis vtriuſque Melancton
Bezaque conuictus trans Acheronta fugit.
Te coluit nuper Caſimirus murice cinctus,
Qui modo Sarmatiæ ſceptra paterna regit,
Conſilijſque tuis precibuſque adiutus habenas
Imperij mira dexteritate gerit:
Innumeroſque acri fregit virtute Sueuos,
Numinis expertus ſæpe fauentis opem.
Ille ſui Phœnix æui quoque Lugus honores
Purpureos inter conſpiciendus adeſt.
Cui fortunatum celebris dedit Hiſpalis ortum,
Bætis oliuifero quam vagus amne ſecat.
Inclyta purpureo redimitus temporâ honore

Præſtanti

Præstanti rerum cognitione valet:
Dogmata præceptis illustrat idonea veris,
Quà fas est homini discere posse Deum.
Alter apud terras fulgere videtur Aquinas,
Edere seu libros, siue docere velit.
Hæresis ut collum rabidis impexa colubris
Concidat in stygios præcipitata lacus.
Vtque probæ valeant mysteria noscere gentes,
Innocuumque sequi Relligionis iter.
At modò Purpureus claudis sacra agmina Præsul
Gloria Senensis, Palauicine, soli.
Tu Patris, & Patriæ trabeas contemnis, & adstat
Vna tibi Ignatio viuere cura Duce.
Interea duplex versat te Fama per Orbem
Quâ decorat Docti nomine, quáque Pij.
In te rara manet latiæ facundia linguæ
Teque colunt Tusci candida verba soni.
Ebibis Historiæ studiosus facta vetustæ:
Qualia sint nostro tempore gesta tenes.
Assecla sic veri calamo munumenta retundis.
Vnde fugit falsi tegmine certa fides.
Vindice te, lector noscit mendacia libri,
Inque Tridentium quæ malè dicta cauet.
Hinc Sophiæ charus, virtuti charus & ipsi,

Cui manet Imperio subdita terra sacrô
Scandis ad Ostriferi fastigia magna Senâtus,
Ora nitent meritis, murice palla nitet.
Reddat Alexandro nunc vrbs lætissima grates,
Quod sibi dat tanto Cardine grande decus.
Sic IESV *Socij celebrentur vbique colendi*
Semi-Deique Viri: Semi-Virique Dei.

IN D. DOMINICVM,

ELEGIA.

Diue cui rutilo præcinxit sidere frontem
Quale nec Eoo surgit in axe Iubar.
Accedas patrijs nascens lux aurea terris,
Quâ cadat Hæreticæ nox truculenta luis.
Te modò Natales suspirant Diue penates,
Orbis & orbatus cui malè nota fides.
Obsistas Iræ minitantis fulmine cladem
Tergemino, exosi crimina tanta Dei.
Sed bene! Christiparæ precibus te propter Olympus
Flectitur, & Pietas, Relligioque viget.
Templaque Romano in somnis ruitura Parenti
Visus eras humeris sustinuisse tuis.
Ac nouus instruitur te Vindice, & Auspice Mundus
Mirifica superos qui probitate colat.

Ille

Ille tuæ ſancto perfuſus flumine linguæ
Mille parat vitijs prælia, mille dabit.
Dum bibit eloquij latices petit æthera votis,
Vritur & ſacro flumine pectus hiat
Es Pater, es Princeps ſobolis, quæ dedita terris
Inter doctiloquos gloria prima manet.
Hinc micat Albertus cui cum cognomine Magni,
Non minor eſt calamus, ſanctaque vita minor.
Hinc micat Angelicis Thomas, nec mentibus impar
Doctrinæ pennis qui ſuper aſtra volat.
Clara Magiſtrorum numero, quem turba carentum,
Pone ſequi geſtit dogmata ſacra docens.
Quin apud inſignes Vincentius extat alumnos
Ille Valentinæ maximus Vrbis honos.
Cuius Aragonum Fernandus induſtria primo
Pacifica tribuit ſceptra regenda manu.
Cum tribus inſtaret Mauors ditionibus horrens;
Bellaque in exitium continuata forent.
Sat patet Hiſtoriæ ſeries, dum pignoris expers
Martinus ſero funere raptus obit.
Ipſum etiam nuper celebranti tempore Natum
Pharthenope Hiſpanis conciliata fuit.
Dum fœlix veteres Campania rumpere frænos
Cœpit, & Auſtriaco demere colla iugo.

Quas tibi nunc, Natiſque tuis, Pater optime, grates
Magnanimus nullo fine Philippus agat.
Teque rogante Deus, poſt tot diſcrimina rerum
Annuet, vt placida pace fruatur humus.
Sic puto, ſic voueo; nec me ſpes fallet inanis,
Quæ viget auxilij nixa fauore tui.

Finis Libri Primi.

LIBER II.

LIBER SECVNDVS.

CVIVSDAM PRINCIPIS Hiſpano ſermone,

EPIGRAMMA.

O Rompa ya el ſilençio el dolor mio,
Y ſalga de eſte pecho deſatado,
Que ſufrir los rigores de callado,
No caue en lo que ſiẽto,aunque porfio.
De obedecerte Anarda deſconfio,
Muero de confuſion deſeſperado,
Ni quieres que ſea tuyo mi cuidado;
Ne deſas, que yo tenga mi albedrio.
Mas ya tanto la pena me maltrata,
Que vençe al ſufrimiento, ya no eſpero
Viuir alegre, el llanto ſe deſata.
Y otra vez de la vida deſeſpero;
Pues, ſi me queſo tu rigor me mata,
Y ſi callo my mal dos veces muero.

Autho

AVTHORIS PARAPHRASIS.

EPIGRAMMA PRIMVM.

O Queat inuitum violare ſilentia pectus,
Quod neque cura premens, nec dolor vſq; capit
Præcipit illud Amor, prohibes tamen eius origo
Anna nec eſſe meum, nec finis eſſe tuum.
Angor, & impatiens animum in contraria verto,
Sic vitam cruciat luctus, & vmbra meam.
Viuere diffidam; nam ſi querar ipſius ictu
Emoriar, taceam? bis periiſſe rear.

De Sanctiſſimo IESV Nomine, & inſtitutione Societatis IESV.

EPIGRAMMA II.

NOmen adoremus, quod pronus adorat Olymp⁹,
Quod flexo tellus poplite, ſtyx que colit.
Quod portis clauſum bipatentibus æthera pandit,
Quodque homines meruit conciliare Deo.
Sub cuius titulo poſitis Ignatius armis
Inſtituit ſacri nobile Martis opus.
Vnde acies vaſtum domat inſuperabilis Orcum,
Hæreticoſque premit, Catholicoſque beat.

Barba

Barbaricasque plagas per mille pericula victrix,
Immensum toto Numen in orbe docet.
Quod summi Verbum decet immortale Tonantis
Quod Genitrice satus Virgine nomen habet.

In Obitum MARGARITÆ DE MORA, Marchionis de Castel-Rodrigo filiæ.

DIST. III.

Iam citò cum terris raperet te Parca, vocari
Ex thalamo ad tumulum rapta Puella potes.

Eiusdem Tumulus. IV.

MArgaris exuuias, quæ suscipis vrna perempta
Digna nitere auro, digna rubere rosis.
Carpetana suis cumulet te Mantua gazis,
Et donis in te mœnia Vlyssis eant.
Illa habet extinctam: dederunt hæc lucis in auras;
Officijs debent se tibi quæque pijs,
Nequicquam ast gemmis, nequicquam ornaberis ostro
Margaris exuuias si tegit Vrna sat est!

DIGNA

D. Ignatio Loyolæ in frigidiſſimo Lacu ad impudicos cuiuſdam amantis Iuuenis coërcendos æſtus.

Epigramma V.

QVò ruis infelix, quò te tua raptat Erynnis?
Quò te compellit ſic modo vana Venus?
Vreris indigni bacchante Cupidinis igne,
Præuia quæ ſtygio eſt ignea flamma rogo.
Vtere ſorte tua flammis accenſus iniquis;
Vtar & ipſe mea frigida membra gerens.
Crimina te maneant: maneat me pœna; tuique
Flagitij rigido torqueat vnda gelu.
Sic ait Ignatius. Iuuenis veſtigia ſiſtit:
Aſpicit immoto lumine: mente ſtupet.
Pœnitet, ac pariter culparum tædet amantem;
Diluit ac lachrymis improba cœpta ſuis.
Vt Loyola *iuuat! ſcelerato exutus amore*
Ille Dei toto pectore iuſſa capit.
Naufraga num gelidas iactatur vita per vndas?
Naufraga namque vndis eſt mage tuta ſalus!

D. FRAN

D. FRANCISCO DE ASSISIO,

EPIGRAMMA VI.

Diue, cui corpus commendant ſtimmata Chriſti,
Pro me ſollicitas funde, benigne, preces.
Nam potes eloquio numquam ceſſante diſertus
Conſita vulneribus quinque per ora loqui.

D. VINCENTIO, Valentiæ Patrono,

EPIGRAMMA VII.

Verberibus, vinclis, ferro, iuſſuque Tyranni
In te Vincenti, barbara turba furit.
Vulnere num moreris vario? non culcitra molli.
Tormento corpus ſuſcipit omne ſuo.
Artubus hinc ſuperas exutus tendis in arces:
Sic tu Vincentis nomen, & omen habes.
Quis Iuſti mortem blandum neget eſſe ſoporem,
Electo æternum ſi modò carpis iter.

D. ALOYSIO GONZAGÆ,

EPIGRAMMA VIII.

Ambigit incertus, primos quò dirigat actus,
Inſtituat vitam qua ratione ſuam.
Tunc precibus ſupplex te poſcit, Diua, Comeſque

Conſilio

Consilio IESV *dicitur esse tuo*
Assecla & IGNATII mentem transcribit Olympo,
Corde nitens, animo purus, & ore sacer.
Consiliis tunc dicta manes Virgo inclyta, Gens &
A te Consilium poplite flexa petit.
Sic modò consilium Mortis, quod fœmina præstat,
Iam reperat vitæ fœmina consilio.

In conuersionem B. FRANCISCI BORGIÆ,
EPIGRAMMA IX.

ASpicis extinctæ faciem, signatur in illa
Fluxus honos, nitidæ gratia fluxa genæ.
Tunc dubius, FRANCISCE, manes, an fida cadauer
Elisabeth pulchrum funebris arca gerat?
Regia tunc coniux muto sic ore loquuta est:
Heu fuge quæ paruo tempore firma vigent:
Mutata est species, augusta cacumina sceptri
Angusto tumulus limite clausa premet:
Aulicus accedas Regi, cui gloria nunquam
Labitur instabili nec fugitiua gradu.
Mortua dum loquitur vultu: Tu viuere Cœlo
Incipis, IGNATII *quò pia signa vocant.*
Exutum pompis decorat te nomen IESV*:*
Conditur illa solo; conderis ipse polo.

In

In DEI-PARÆ Natalem,

EPIGRAMMA X.

CHristiparæ læto nitidissimus æthere surgens
Annua Natalis tempora festus obit.
Fortunata dies, & luce illustrior illa,
Qua sextum Omnipotens edidit Author opus.
Constitit & cunctis perfectus partibus Orbis
Qui cito criminibus inficiendus erat
Intulerat Mundo supremam fœmina cladem;
Altera præsentem ni tribuisset opem.
Eua genus perimit, Mariæ quod suscitat ortus;
Attulit hæc terris Numen, vt illa Nefas.

In purissimam DEI-PARÆ Conceptionem,

EPIGRAMMA XI.

EXitium fructus vetitæ tulit Arboris Orbi,
Coniuge blanditijs pelliciente virum.
Ast Opifex rerum, sortem miseratus acerbam,
Consuluit simili sontibus arte pius.
Altera vt oppressum repararet fœmina mundum,
Edere seruato digna pudore Deum.
Mirificis purum virtutibus æthera vincens,
Quæ sine labe Patrum concipienda foret.

Mutuus id Genitricis honos, Natique requirit
Gratia Maternum testificata decus.
Sin aliter fieret fortasse notanda fuisset,
Vel minus illa merens, vel minus ille potens.

In Festum D. MARIÆ ad Niues,

EPIGRAMMA XII.

PRouidus in bellum niueos habet æther aceruos
Instar opum, vt Iobus nouit ab ore Dei.
E tantis nec adhuc vllo in certamine constat
Talia diuinas tela tulisse manus.
Quod tamen horret hyems æstiuo tempore ningens,
Liniet vt templum Diua Maria tuum.
Ac velut armigeris figat tentoria castris,
Cuspide Cocytum quæ potiore doment,
Et pretiosa micans iuuet ornamenta supellex,
Sacraque diffusus thura ministret odor,
Et cultu, & precibus ditissima fulgeat ædes,
Has puto thesauros Numinis esse niues.

In D. CLARAM,

EPIGRAMMA XIII.

AVroram, & Lunam, Solemque imitata decoro
Nomine clara nites, Numina clara faues.
Fœmineas

Fœmineas cogens Francisci ad signa cateruas,
Ardua præstanti ducis in astra gradu.
Ac velut impositis cohibes Phlegetonta catenis,
Instructique minax agminis instar ouas.
Germanum obsessis, Maurumque è mœnibus arcens
Prosternis patrio (astra subacta solo.
Æthereas iaculata preces, non tela coruscas
Eucharis inque tua fulminat ipsa manu.

De D. BERNARDO,

EPIGRAMMA XIV.

INclyta cælicolas commendant munera Ciues;
Quos Deus, atque Dei Mater amare solet.
Est qui diuinâ donatur veste superstes;
Est qui siderea pictus ab Arce redit.
Diuersos diuersa iuuant miracula Diuos,
Quilibet vt meritis præmia digna refert.
Quantus apud superos colitur Bernardus alumnos;
Quem pia Virgineo Lacte Maria beat.

D. BARTHOLOMÆO, Pontibedræ Patrono.

EPIGRAMMA XV.

NAtalis celebranda tuus, dum tempora voluit,
Huc ades ad nostras Bartholomæe preces.

Qui modò Callaicis insignis Apostole terris
Martyr apud Persas excoriatus ouas.
Postque Zebedæum supplex te turba Iacobum
Gestit honorificis vsque beare modis,
Extollens frontem quâ Pontibedra superbam
Finitimis veteres vrbibus æquat opes;
Templum vbi Patroni pietate, ac nomine tanti
Nobile commendat cultibus ara frequens.
Hinc ego dum imposita Regnum ditione guberno,
Seu Toga iure viget, seu Tuba Marte tonat
Te veneror, votisque instans feruentibus oro,
Ciuibus vt pergas, Diue, fauere tuis.

D. LAVRENTIO Martyri,

EPIGRAMMA XVI.

CEltiber admotos spernit Laurentius ignes,
Carnificumque truces in sua fata minas.
Nil mirum; mortalis edat si flamma medullas,
Cui sacer in tota mente triumphat amor.

Ad Eundem,

EPIGRAMMA XVII.

LAurenti, decus Hispaniæ, luxque inclyta gentis,
Martyrij laurus quem pretiosa beat.

Tem

Tempore si Stephanum sequeris, virtutibus æquas;
Nec tibi de reliquis par fuit alter adhuc.
Quàm valido Imperium tutatus robore Iberum!
Crederis innumeris eripuisse malis!
Quin confecta redux olim post bella Philippus,
Obtulit auspicijs debita templa tuis.
Qualia nec priscis celebrat miracula sæclis
Roma suis vnquam, Græcia siue suis.
Cariaque ac Memphis varios mentita labores,
Grande Semyramiæ nec Babylonis opus.
Ecce Nepos gestis, ac nomine dignus auito,
Hesperiam simili qui pietate regit.
Sedulus immensam locupletibus ampliat ædem
Cultibus & sacras nocte, dieque preces.
Numina magnifico, manesque locantur honore,
Qua breuis ingentes Fabrica iactat opes.
Nunc Regi, ac votis Regnorum instantibus adsis
Perge salutiferam ferre vocatus opem
Cum fera Franciadum Bellona superbiat armis,
Quæque rebellantes surripuere manus.
Quà Tagus Oceanum rapidis secat aurifer vndis,
Barcinoque indomitum tollit iniqua caput.
Posce Deũ, patrias ne Mars premat improbus Vrbes;
Fessa sed optata pace quiescat humus.

Ad Dei-Param Assumptam,

Epigramma XVIII.

Obtigerat veterum pro crimine iusta Parentum
Mors, homini merces, vitaque plena malis.
Sic tristis genus inuoluit miserabile casus,
Libera vt hac solum lege Maria foret.
Quæ nunquam sceleri, ac pœnis obnoxia fulget
Virgo beata, Dei filia, Sponsa, Parens.
Quod tamen innocuos anima prius exuit artus
Fertur ad astriferos quam rediuiua lares.
Ne dubita immunem; sed Amor iura omnia soluens
Sustulit, haud aliter debuit illa mori.

Vrbi Lovanio, Duce Serenissimo Cardinali Infanti Ferdinando Austriaco liberatæ à Gallorum obsidione,

Epigramma XIX.

Moenia Belgarum reliquis præstantia terris
Dilia fecundo qua breuis amne secat:
Quô Galli, & Bataui superastis robore vires?
Quâ-ne vtriusque graues militis arte dolos?
Fulmineosque globos, & vulnere sueta nefando
Tela ferire homines, tela ferire Deum?

Gradiui

Gradiui ne Hastâ, validæ seu tecta Mineruæ
Ægide, siue alio Numine tuta rear?
Scimus enim vobis Superos in vota secundos,
Quà iuuat Aonidas, agmina quàve sequi.
Ast pius Hispanis Fernandus vt adfuit armis
Palladis, aut Martis non eguistis ope.

DIVÆ ANNÆ,

EPIGRAMMA XX.

ELoquar, an sileam? nam quo præconia plectrô
Apta queant plausus Anna referre tuos?
Tu decus es, columenque soli tu pandis Olympum;
Per te Mortales libera turba sumus.
Dum tua Nata Deum superis eduxit ab oris
Virgo Panonphæo digna Tonante Parens.
Vnde diu optatum terris iubar adfuit; vnde
Perdita tot sæclis nostra reperta salus.

Eidem, EPIGRAMMA XXI.

FErtilis exultat si fructibus arbor opimis;
Si genus & sobolem mutuus ambit honor.
Pieriis ô quanta nites celebranda Camœnis
Cui Deus in terris obtigit Anna Nepos.
Sic tu, Virque tuus precibus flexistis Olympum,

Quà Timor in superos, quáque merebat Amor.
Et Pudor, & Recti studium, Pietasque Fidesque
Ac morum Probitas, coniugijque decus,
Ut nisi diuinum peperisset filia Verbum ,
Matribus è cunctis par tibi nulla foret.

DIVÆ THERESIÆ A IESV,

EPIGRAMMA XXII.

QValem te Hispanis oriunda Theresia terris
Inter Cælicolas, inclyta Diua, canam?
Martyr ouas animo plus passa superstite victrix
Corpore, & assiduis sponte peracta malis.
Nec te Gertrudes crebrò, aut Brigitta fauore;
Utraque connubio nec Catharina præit.
Deque manu Sponsi clauum pro pignore nactæ
Sceptra tibi pelagus, sceptraque debet humus.
Parua loquor. Duplicem Carmeli nomine sexum
Signa Tonantiparæ sub veneranda vehis.
Sacra Palestini reuocas molimina vatis,
Qui Cælum ignicomis vectus adiuit equis.
Hunc acri referens Zelo, ac virtute Ioannes
Difficilem simili duxerat arte viam.
Quin longis etiam spatijs Albertus omissæ
Condidit eximium Relligionis opus.

Sed

Sed neque ſubſtiterat. Quid enim non deleat ætas!
Donec inacceſſum ſternere pergis iter.
Fœmineamque vltrà ſortem præcepta miniſtras,
Qualia dictantis Numinis ore notas.
Sit ſtupor, vt numeris abſolueris vnica cunctis,
Quicquid adhuc ſummi vix iniere viri.

D. IGNATIO LOYOLÆ, de illis verbis, Romæ propitius tibi ero,

EPIGRAMMA XXIII.

FLuctuat ancipiti curarum Ignatius æſtu,
Dum properat Latij viſere Regna ſoli.
Ardet, & ad Cœlum ſatagit reuocare ruentes
In ſcelera, eximio raptus amore Dei.
Tunc, age, degeneres animo depelle timores,
I pete Gradiui mœnia IESVS, *ait;*
Ne dubites ſtygijs bacchetur vt agmina monſtris
A me præſentem ſemper habebis opem.
Namque fero cedet nutritus lacte Quirinus
Marte licet tumidum ſe genitore ferat.
Ecce ego te legi Natum, famulúmque fidelem,
Qui gereres toto nomen in Orbe meum.
Romulus inuexit mores, cui primus iniquos,
Alter in arce Parens, ſed probitatis, eris.

Vt pius esse queas renouandæ conditor Vrbis,
Non Lupa te mendax sed sacer agnus alet.

D. LAVRENTIO, Martyri,

EPIGRAMMA XXIV.

SVppositus crati spernit Laurentius ignes;
Crudaque iam dicit vertite membra rogo.
Quâ parte assatum præbet tibi fercula corpus,
Eia age, manduca, rumpe, Tyranne, moras.
Cur tu non pauitas, Laurenti, incendia dic? &
Cur face non facies exanimata gemit!
Respondes victrix despectat fulmina laurus;
Sic ego flammigeram temnere disco necem.

Ad DD. ALVARVM BENAVIDIVM, PETRI BENAVIDII, Nauarum Marchionis Nepotis, & Authoris filij.

EPIGRAMMA XXV.

Doctor Domnus ALVARVS BENA VIDES
Anagramma purum.

CVR TV DONANDVS BIS MODO LAVREA ES?

ALuare Iuris honos duplicis, quà Tormius amnis
Doctorum titulis mœnia clara rigat.

Laurea

Laurea es *exclamant* donandus cur modo tu bis?
Quotquot erant meritis æmula turba tuis!
Legifera eximius tuleris præcepta Magiſter
Sæpe, tamen primâ celſus ab arce ſemel.
En decorant frontem geminatæ ſerta Mineruæ!
Munera bina ſimul Martis & Artis habes.

Ad eundem, EPIG. XXVI.

TE Themis alma docet;leges me Muſa docebit,
Si legum Doctor legibus ipſe faues:
Legibus ipſe faues numeri: Nam lege Poëta
Dulce canit, fundit carmina, plectra gerit.
Te Duce percurram Phœbi ſi pectine leges,
In te laudando non ſinè lege ferar.

Ad eundem, EPIG. XXVII.

ALuare, quis Pindi nobis Alnearea præſtet
Aonij dulci nectare plena iugi?
Cynthius an Clio? Clio, nec Cynthius, ergò
Munera largifluo quis mihi melle dabit?
Aluarus es referat cum nunc Aluearea nomen,
Illud erit Muſæ dulcia dona meæ.

Orationis

Orationis Dominicæ Paraphrasis,
EPIGRAMMA XXVIII.

O Pater, ô nostri Pater, ô Pater optime nostri,
Et quoties repetam, summi licet ætheris alta
Arce sedes, iteratque tuas per sæcula laudes
Aligerum vulgus, pennisque trementibus astat
Ante pedes, flexoque genu te pronus adorat
Diuorum cœtus, mixto cum murmure plausu.
Ergo tuum sanctis referatur honoribus almum
Nomen, & usque tui veniat pars maxima Regni.
Da nobis, da panem hodie, quo semper egemus:
Et veniam factis ne dedignere scelestis
Largiri, offensas quali nos mente receptas
Mittimus, aduersosque animo amplexamur amico,
Neu cadere in præceps permitte, sed omnia longè
Pelle mala, atque tuos tandem in meliora reserua.

P. PETRO PIMENTELIO clarissimo, & eruditissimo Ignatianæ familiæ viro.

EPIGRAMMA XXIX.

Petre, Pimentelidum columen, sacer ordinis Heros,
Inclyta, quem IESV *nomine signa iuuant.*
Nec decora altà Domus, nec blandimenta paternæ

Mille

Mille iuuentutem detinuere tuam.
Quo minus Ignati præcepta ſeuera ſequutus
Difficile arriperes Relligionis iter.
Hinc toties primum te ſuſpexere magiſtrum
Mœnia, quæ doctis Tormius ambit aquis.
Myſtica, ſeu veterum reſerare oracula vatum,
Hiſtoriaſve ſacras cura docere foret:
Noſcendi aut veram (qua fas eſt) Numinis artem,
Et nati, ac paſſi geſta verenda Dei.
Interdum impoſito ſocios moderamine cœtus
Mirifica functus ſedulitate regis.
Nec tua longinquas latuit prudentia gentes,
Doctrinæque faces, ingenijque iubar.
Romanuſque Parens, cui ſumma potentia rerum
Sæpe animi dotes vexit in aſtra tui.
Attamen euentus ſortis perpeſſus iniquæ
Maior apud Gallos compede vinctus eras.
Naufragio, ac vinclis ſimilem conſtantia Paulo
Reddidit innumeris non labefacta malis.
Et vigor, & virtus æquauit nomina Fratrum
Quos pace, ac bello gloria tanta manet.
Te colimus grati, plauſuque fatemur ouanti
Nulla tulere parem, ſæcula nulla ferent.

Ad eundem de D. FRNCISCI XAVERII, laudibus egregie perorantem Pompeiopoli, An. 1653.

EPIGRAMMA XXX.

QVæ vis Ingenij, Suadæ quæ tanta potestas
Impulit eloquium, Petre diserte, tuum?
Vt modò prætuleris rebus nihil omnibus vnum,
Accedensque Deo dixeris esse magis.
Sic facundus ouas, sic mentis acumine præstas,
Ac de suggestu celsus in astra volas.
Atque ita Xauerius nituit, qui semper in Orbe
Summus adhuc: maior te celebrante micat.

D. THOMÆ AQVINATI, de illis Christi verba Cruci affixi: Bene scripsisti de me Thoma.

EPIGRAMMA XXXI.

VT Solimo puræ moriens in monte Parenti:
De Cruce sic IESVS *nunc tibi Diue, fauet.*
Tunc Genitrix audit patientis verba Tonantis:
Tu modo languentem percipis aure Deum.
Tunc Mariæ charum commendat voce Ioannem:
Nunc tua diuino gutture scripta probat.

Tu

Tu benè ſcripſiſti de me tulit ille, docentis
Extollit calami quô monumenta tui.
Tam bene quod Docto perareтur pagina Thoma
Conuenit: a muto nam Boue fertur opus.

De D. HYACINTO POLONO.

EPIGRAMMA XXXII.

T*Empla Dei ſubitis flagrant correpta fauillis,*
Auxilio properas tunc Hyacinte tuo.
Ætheriuſque cibus per te deducitur æde ;
Sed queritur rapido Virgo relicta rogo.
Exime quin etiam dixit mea ſigna, voraci
Ne flamma in cineres hæc ſimulacra cadant.
Dextra tua eſt Natum, Matrem eſt cõplexa ſiniſtra
Suſtentans vulnis credita ſacra tuis.
Non Anchiſiadem celebret vocalis Apollo,
Hyacinthi meritum dedita fama canat.
Ille Patrem humanũ flammis: Matremq; Patremque
Robore diuinum ſurripis ipſe tuo.

D. ANTONIO A PADVA,

EPIGRAMMA XXXIII.

P*Vpulus aſſumptis tenera ſub imagine membris*
Antonî IESVS *ad pia vota venit.*

Ambit

Ambit amans humeros, dilecti ac pectus Amantis
Occupat & sancta sistitur ille manu.
Prodidit hoc clausam quæ findit rimula portam
Testis ut adiecto lumine facta notet.
Clara nimis, quæ magna nimis decora inclyta Diuûm
Occulto, & viso Numine nota manent.

B. Stanislao Kostæ Soc. Iesv.

Epigramma XXXIV.

TV tener occumbis? cur? an pia facta iuuentæ
Admirans credit te libitina senem?
An flos omnigeno flagrans Virtutis odore
Debueras lectus Numinis esse manu?
Non equidem Angelica sumas cum fercula dextrâ
Extemplò exutus corpore ad astra volas.
Nam quondam Elias cœlesti pane refectus
In iuga prolixo tramite fertur Oreb.
Te cibus immenso cumulatus Numine duxit
Non secus ad Superi culmina celsa poli.

P. Tamia

P. Famiano Stradæ, Soc. IESV de Bello Belgico graphice ſcribenti.

EPIGRAMMA XXXV.

Belgarum turbas, mirandaque prælia narrans
Cinge ſacrum lauro, Strada diſerte, caput.
Pluribus Hiſtoricos titulis poſt terga relinquis,
Roma ſuos iactet, Græcia ſiue ſuos.
Priſtina cum factis ſuperata recentibus extent,
Vtraque ſunt ſcriptis cedere digna tuis.
Tantus Amor veri, tanta eſt ſolertia menti,
Ac tali rerum cognitione vales.
Dumque alia ex aliis tempeſtas diruit Vrbes,
Vt vario bacchans turbine pugna furit,
Aut leuis ancipiti ludit fortuna tenore,
Duxque cadit ſubitò, qui modò victor ouat.
Non tamen armorum fatis obnoxius vllis
Viſus es eloquio cuncta referre pari.
Macte memor noſtri, monimenta ſequentia prodac,
E quocumque tibi Marte triumphus erit.

In certamine Poëtico certis legibus ſancito de Icone DEI-PARÆ cognomento de Matrito exhibitum,

CARMEN XXXVI.

ECce Tonanti-paræ ſimulacrum Virginis almum
Conſcia Matriti nomine turba vocat.
Nec ſine conſilio ſuperum contingere credam
Hoſpita quod miſeris, ſpeſque Maria faues.
Te precor Auguſtâ facilem cum coniuge Magnus
Sentiat Heſperias, qui ditione regit.
Debitus Imperio ſimiliſque parentibus Hæres
Detur, & ingenti proſperitate frui.
Auſpiciiſque tuis vexilla ſecundet Olympus,
Quæ rectus fidei cultus vbique præit.
Hæc quoque ſuſtineas bipatentia prouidus ægris.
Quæ Rex, ac ſummus tecta ſenatus habet.
Ex quo præcipuus viginti Antonius annis
Contreras, tantum protegit Author opus.
Nunc obſtricta tibi quem Carpetana dicauit
Mantua purificans vſque feratur honos.
Dumque apud abiectos ſolio veneranda locaris,
Iure tuam duplici Diua merentur Opem.
Hinc Aulæ ſedem, ac Regnum, Dominoſque potentis
Digna corona decet, vera medela manet.

D.

D. ISIDORO AGRICOLÆ.
EPIGRAMMA XXXVII.

ARua ſiti ſqualent, telluſque fatiſcit hiulca,
Arida nec riuus proluit ora boum.
Præbet opem Diuus, ferratâ cuſpide virgæ
Scindit humum, & ſciſſo proſilit vnda ſolo.
En data primæuo ceſſat iam pœna Parenti,
AGRICOLÆ *madidus nec fluit ore labor.*
Semen adhuc ſterilis, vultu ſudante, ferebat,
Innocuo fælix qui modò ſudat ager.

D. FRANCISCO XAVERIO exclamanti: Domine ſat eſt.

EPIGRAMMA XXXVIII.

DVm noua XAVERIO *languentum munera Nu-*
Gratiæ inexhauſtas addere pergit opes. [men
Ille recuſanti ſimilis ceſſare precatur,
Digna negans meritis præmia tanta ſuis.
Æſtuat, atque animum nunc huc, nunc diſtrahit illuc
Immemoremque ſui nil niſi pœna iuuat.
Ac maris, ac terræ diſcrimina mille ferentem
Pro fidei cultu, iuſtitiæque mori.
Ardet, & anguſto cruciatur limite mundi,

Vexilla vt Christi suspicienda vehat.
Interea exclamat nimio velut obrutus imbre
Ætheris Ambrosias eiaculantis aquas.
Tolle voluptatum rapidos, Deus optime, fluctus,
Omnia præbe alijs; mi satis vnus eris.

Eidem Venetijs ægroti tabidum vulnus sugenti.

EPIGRAMMA XXXIX.

PLurimi apud Venetos Natura horrente verentur
Cernere, quod stillans vlcera virus habent.
Dum modo Xauerius tenera licet indole pugnet
Ipse sui victor vincitur illa bibens.
Illa bibit credens dulces ante ire liquores,
Attica quos tacito pumice condit Apis.
Quilibet Odrisij truculentas militis alas,
Atque Semyramias sub iuga mittat opes
Eoas iuuenis Pellæus vt eruat arces;
Sese maiorem quis superare potest?

Ad D. HERMENIGILDVM Hispaniarum Principem.

EPIGRAMMA XL.

DIra per Hispanas cum serperet Hæresis oras
In Patriam, inq; ipsum suscipit arma Patrem.
Ille

Ille ſuos implet denſos Rex agmine campos,
Iamque faces circum, ſpicula iamque volant.
Sed Pauci, & Pietas Iuuenis tibi tela miniſtrant,
Tela, quibus validæ ſæpe premuntur opes.
Attamen aduerſis habitat victoria caſtris,
Teque triumphatum vincula ferre iubet.
Quin etiam infido ſecuit caput enſe Miniſter,
Cur tulit heu tantum Bœtica terra nefas?
Principis ô factum, ſi quis graue ſenſerit, hoc eſt
Vincere pro vera relligione mori.

Ataulpho Compoſtellano Præſuli.

EPIGRAMMA XLI.

TEſtibus à falſis damnatur crimine Præſul
Integer, & capitis creditur eſſe Reus
Tauro præda damnatur ſacro velatus amictu
Rex, Proceres, Vulgus, Nobilitaſque vident,
Ille tamen ſanctis manibus fert cornua, ſupplex
Tradit & inſonti (quis putet!) arma viro.

Ad DEI-PARAM vernantibus roſis hyemali tempore coronatam.

EPIGRAMMA XLII.

DIc Raſa, quæ molli gaudes pulcherrima circum
Virginis intonſas ludere fronde comas:

An tibi Accidalius cunabula præbuit ortus?
An tuus Elysiam flos decorabat humum?
Seu nunquam solito melioris blanda Fauoni
Aura tuas nuper flamine mulsit opes
Omnia sed tanto vinci fatearis honore,
Christiparæ mereas cum redimire caput.

Beato STEPHANO Protomartyri.

EPIGRAMMA XLIII.

R*obore fulta graui, rutilas imitantia flammas,*
Mens Adamas STEPHANI, *corda Pyropus* [*erant,*
His templum statuit summo fabricare Tonãti,
Destruere impietas quod truculenta parat.
Admotæ vt pulsat testudinis impetus vrbem,
Sic validus vibrat perfida saxa furor.
Cum tamen assiduis figat lapis ictibus artus
Gemma nitet subitò quæ modo Petra fuit.
Parua loquor. IESVS *bipatenti plaudit Olympo,*
Stansque videt pugilis prælia mira sui.
I, nunc, & Sanctis rabies obes improba cœptis
En minus illa premis, quò magis arma moues.

P. Didaco

P. DIDACO OQVETE SOC. IESV.

EPIGRAMMA XLIV.

QVod Christi corpus tibi, Didace, detur edendum.
Pabula sitque caro, pocula sitque cruor.
Inuitere licet diuinæ ad prandia mensæ,
Contingatque sacro nectare posse frui.
Esse vel ipsius noli conuiua Tonantis,
Numinis in terris dum saturere cibo.

In Leptam, EPIG. XLV.

VT graue furtiui fateatur crimen Amoris
In Leptam sæuo iudice pœna furit.
Pensilis in summum trahitur laquearis, acuto
In ligno sessor tempora longa terit.
Dum silet, & Veneris non prodit crimina, tandem
Morte cadit varijs obruta vita malis,
Sic muto suprema dies occurrit Amanti.
Est Amor ipse puer, nec dare verba potest.

De S. ISIDORO AGRICOLA Matriti Hispaniarum Aulæ Patrono. Et de S. GENOVEFA Parisiorum Galliæ Regiæ Tutelari.

EPIGRAMMA XLVI.

IMminet è superis tibi cur Lutetia, custos,
Lanigerum pauit GENOVEFA *gregem?*

Cur ISIDORO *Matritum vindice tutum est,*
Semina cui multo fœnore terra dedit?
Vota petunt igitur Diuos sic Aulica, qui iam
Vixerunt sancta rusticitate pij!
Hispani, & Franci regalia culmina sceptri
Discite concordes ducere pace dies.
Vomeris in formam galeas Tartessia vertat,
Hauriat à sancto mitia facta viro.
Bellica deponens Gallus molimina, discat
Tutricis placido viuere more suæ.

Ad D. IOSEPHVM Virginis Sponsum.

EPIGRAMMA XLVII.

QVi *Faber est Cœli Fabrum iubet esse Parentem*
Nomine, quô Mundi sit fabricanda salus.
Virginis ille Faber venerandam duxerat Arcam,
Quâ lex, & Legis condita causa fuit.
Quin etiam docuit IESVM *tractare tenellum*
Ligna Crucis maior quæ subiturus erat.
O benè profertur. TRACTENT FABRILIA FABRI,
Fabrili pendet si Faber ore Deus.

De

De D. FIRMINO VASCONIÆ Regni vrbis Pampilonensis Patrono.

EPIGRAMMA XLVII.

PRæsidium Hispano, confinibus hostibus horror,
Clara Pyrenæis Vascona terra iugis.
Vrbsque caput Regni, quod tempore sceptra vetusto
Edidit Hesperiæ fratribus ampla tribus.
Ad te Relligio Firmino venit Alumno,
Qui Pater, & Patriæ maximus extat honos.
Ille fidem docuit, nullo quæ defuit æuo,
Lædere Tartarij nec potuere doli.
Siue superstitio populos antiqua nocentes
Traxerit à vera cognitione Dei.
Seu noua deciperet vicinas Hæresis oras,
Caluino stygium parturiente nefas.
Siue fames premeret, seu Mars tremefecerit Orbem
Hactenus incolumis, tutaque semper ouas.
Firma quidem statuit Pompeius mœnia vobis;
Sed mage Firmino vindice firma tamen.

In Puluerem Tormentarium.

EPIGRAMMA XLVIII.

COmpositus nitro carbone, & sulphure puluis
Impia mortalis sunt monimenta manus.

Hôc nam flammigerô iaculatur fistula plumbum,
Vitales adimit quô Libitina dies.
Hic distat quantum puluis, quô primus ab illo
Conditus accepit membra venusta Parens.
Ille tulit Puluis vitæ primordia mundo,
Hic tamen excidij semina certa dedit,

D. Isidoro Agricolæ.

Epigramma XLIX.

OTia dum captas precibus, stant rura coloni
Vertenti glebas an viduata manu?
Aliger accedit cultor ceu rusticus, atque
Dum colis ipse Polum, tunc colit ille solum.
Quòd Deus Angelico nobis det fercula Pane
Quis neget? Hæc multa vel prece dona paras.

Enigma de Tritico Epig. L.

HEu nimium duri præcin gunt tempora sentes,
Cæsaque verberibus sunt mihi membra feris.
Et morior, tumulorque solo, tandemque sepulchrô
Sidera visurum me noua vita trahit.
Sumq; salus hominum, reparo mundumq; cadentem,
Quamvis non dicor filius esse Dei.

D.

D. Francisco à Pavla.

Epigramma LI.

En Francisce tenes tota quod mente petisti,
Mortis in amplexu te tuus ambit Amor.
Quæ te summa dies nostris excepit ab oris
Numinis hæc eadem summa cadentis erat.
Pergitis è terra mortalis corporis vna,
Ceditis ad superas lætus vterque plagas.
Ne timeas Francisci obitus discrimina duri.
Morte vel in media sit tibi vita comes.

Tarqvinivs Svperbvs altioribus Papaueribus virgâ recisis monet filium.

Epigramma LII.

Nvntius expectat Tarqvini *iussa Tyranni,*
Hic silet, & tacitus florea claustra subit.
Quæque caput tollunt, calamumque papauera, virga
Hæc secat, hæc fracto culmine trunca iacent.
Pro dictis famulus retulit dum facta parentis
Præcipuos Vrbis, subdele Sexte, necas.
Num stabilem seruare queat Fortuna potentem,
Mœnia si tandem, flore cadente, cadunt.

Enigma

Enigma de Iona, EPIG. XLIII.

ET viuo, & tumulor, tumulus mihi viuit, in ipso
Condita ni tumulo mortua vita foret.

De Puero in lucem edito muralis tormenti ictu vulnerata & occisa Matre.

EPIGRAMMA LIV.

PRopugnant Bataui Bergas, oppugnat Iberus
Zoma vbi cæruleas flumine tingit aquas.
Flammigeros tormenta iterant muralia iactus,
Et pila terrifico turbine densa ruit.
In castris grauidus laceratur Venter ab ictu:
Vnde oritur Natus, fœtaque mater obit.
Vulnere cur morti reseretur Ianua? eodem
Vulnere si vitæ porta reclusa fuit!

De D. CAROLO Archiepiscopo Mediolanensi.

EPIGRAMMA LV.

POplite sidereas curuo penetrabat in arces
Optimus Insubriæ Præsul, & Vrbis honos.
Hunc petit ad cædem reuolutum sulphure plumbum.
Fistula sacrilegâ quod vomit acta manu.
O mirum! Carolus flammis imperuius astat,

Nec

Nec patet ad ſubitam turbine porta necem.
Glans humero ſuccenſa hæret, nec vulnere lædit
Seu noxæ purum teſtificata virum:
Palluit aut viſo forſan Libitina rubore,
Quo Pater induitur, quem pius ore colit:
Seu quod non horret furiata mente ſceleſtus
Credile eſt ipſum pertimuiſſe ſcelus.

In Dominam IOANNAM de FINES nuptam Domino RODERICO INIGVEZ de VIEDMA.

EPIGRAMMA LVI.

HEroum Genitrix thalamos pete Virgo paratos,
Vt Patre, ſic magno clara futura Viro.
Nobilis accedis RODERICI *ſponſa Viedmæ,*
Hicque Giennenſi primus in arce ſedet.
Ex te iam ſurgent duplici de ſtirpe Nepotes,
Quáque Benauidium, quàque Viedma genus.
Scinditur ac Gentis bifidè dum linea, nonne
Pythagoræ illuſtris litera facta domus?
Cur hoc partitæ ſobolis præſagia pandunt
Parſque Togâ inſignis, parſque futura ſago.

Priſcillæ

PRISCILLÆ EPITAF. LVII.

MOrſibus infamis laniauerat acribus oris
Omnia, quàm clauſo nunc tenet vrna ſinu.
Longius abſcedas Hoſpes, ne murmure linguæ.
Dente vel incautum mordeat illa pedem.

De Diuo FIRMINO CIVE, & primo Epiſcopo Pampilonenſi.

EPIGRAMMA LVIII.

ASpice quos ſubitò Iani per tempora flores
Germinet Hyberna gleba ſoluta niue.
Aſpice prata ſinu laxent, vt rura vireſcant,
Vt picturatas induat Arbor opes.
Scilicet ignoto FIRMINI *inuenta ſepulchro*
Corpora, dant nudo florea dona ſolo.
O felix, nimium felix Vrbs Vaſcona, magni
Nomine Pompei mœnia clara gerens.
Nam tibi FIRMINI *ſoboles, fideique Magiſter,*
Cuius in obſequium Gallica pubet humus.
Viue diù, & læto modulare hoc pectore carmen:
Quàm benè VERE *nitet qui mihi* VERA *tulit.*

De

De Inuictissimo, & Religiosissimo Duce ALBANO: ac de BORBONIO.

EPIGRAMMA LIX.

CÆsaris iniussu rabidis BORBONIVS *armis*
Iuit in exitum Roma colenda tuum.
Dux vetat ALBANVS *victricia pergere signa*
Romulei veritus mœnia sacra Patris.
O quam dispar opus, quam Mars â Marte recedit,
Impius est vnus, sed pius alter erat.
ALBA *dedit quondam Romana exordia genti.*
Iure patrocinium nunc dedit ALBA *suum.*
Læta dies ALBO *radiat signanda lapillo,*
Festiuos igitur deferat ALBA *dies.*
Pœnè feri perijt Gallis Vrbs victa Quirini,
Milite quæ Gallo perdita pœne fuit.
Tam malè si Gallus molitur gutture cantum
Bellicus, heu facinus, ne canat ille, cadat,
Tam Benè Romanis si tempora præstitit ALBA,
Cincta triumphali tempora fronde gerat.

De

De Inferiori Mundi ſphæra.

EPIGRAMMA LX.

QVi mare, qui terras paruus complectitur Orbis
Voluitur inſtabili ceu rota torta manu.
Siccine mortalis variatur machina mundi?
Quæ vel tantillo eſt irrequieta globo!

DE ANNÆO LVCANO.

EPIGRAMMA LXI.

ÆMulus in doctam Lucanus Cæſar arenam
Cogit, vt Aonijs certet vterque modis.
Bœticus exuperat Vates, cedente Camena
Principis Hiſpanus præmia cepit olor.
Liuenti Auguſti ſaturantur corda Veneno,
Carmine quem nequijt vincere, morte premit.
Quà, Lucane furis Phœbeo percitus æſtro!
Percitus inuidia qua Nero cæde furis!

De D. PHILIPPO NERIO.

EPIGRAMMA LXII.

ACcipit impulſum iaculantis ab æthere dextræ,
Accipit & patulo corde PHILIPPVS *hiat.*
Quin etiam accenſis emittit tela medullis,

Dulcia

Dulcia cum dulci Flamine bella ciet.
Hinc geminus luctatur Amor, Diuinus, & ille,
Quô fouet illapso dona refusa Deo.
Franguntur tandem tumefacto in pectore costæ,
Corruit ignito Numine victus humi.
Vror; io, date fontis, ait date gurgitis vndas,
Obruat vt flammas, obruat vnda meas.
Sat lenis, facilis, mellitus carpis Amator
Viscera, sat iaculis, sat mihi corda feris.
Tunc Amor à telis cessat. Si Costa refracta est,
Aptus missilibus non magis Arcus adest.

De LVCIO ANNÆO FLORO.

EPIGRAMMA LXIII.

FLoribus vt nomen, calamus sic flore nitescit,
Cuius & in paruis florea dicta libris.
Florigeros aliquis nequicquam calcat honores
Vernantesque breui tempore spernit opes.
Qui legis hunc auidus iam desine temnere Florem,
Non flos est Florus, qui cadit ante diem.

In SIXTRVM. EPIG. LXIV.

AVsonij Patrem eloquij, primumque Magistrum
Nec te maiorem, nec sinis ire parem.

Præuertis flores Flori, victusque nitore
Per te Cæsar adest: est tua Fama, Titi.
Curtius haud culti dignandus nomine, Cryspus,
Sixtre, decus cedit Principis Historiæ
Dotibus his audes te circumferre latinum,
Cum voce, & calamo non nisi menda fluat.
Non quia te Latiæ decorat facundia linguæ;
Sed Latium referam, te quia lingua latet.

In Pistrum. EPIG. LXV.

QVod bellè inueniat, pangat-ve poëmata bellè,
Ambigitur Vati gloria prima dari:
Et quam-vis longo tractetur tempore causa
Pendula sub dubio Iudice restat adhuc.
Iam tua Piste omnem superant mendacia litem,
Mendaci quoniam iudice victor eris.

ALVARO BASTANO celeberrimo Marchionis S. Crucis Imperatori Maritimo Inuictissimo.

EPIGRAMMA LXVI.

MArs maris, & terræ, velis, remisque tremende
ALVARE, BASTANÆ *gloria prima domus.*
Quâ te laude canam, duplici memorabilis Orbi,
Non par est gestis nostra Thalia tuis.

Tu

Tu maior fama, minor est te Musa Maronis,
Te quoque Smyrnææ carmina rauca lyræ.
Vtraque Idumæas carpis super æquora palmas;
Sertaque tot muneras quot maris vnda plagas.
Hispanus virtute tua non fluctuat vndis,
Rector vt ille solo, victor es ipse salo.

De IVLIO CÆSARE Dictatore.

EPIGRAMMA LXVII.

INspecta ceruice Ducis cognomine magni,
Sic CÆSAR *lacrymans quamlibet hostis ait.*
O Caput Imperij, pila nunc versatilis erras
Fortunæ iactus, Carnificumque iocus.
Vasta triumphati claudebas pondera mundi,
Orbis & exigui nunc leue pondus ades.
Quodque magis stupeam, Ptolomæi concidis ense,
Qui tibi Regifium debuit ante decus.
Infensum tetigit pietas; fiducia linquit
Obstrictum. Hinc varias discite sæcla vices!

De Classi ab India Occidentali Hispaniam repetenti, An. 1659. EPIG. LXVIII.

EXpectata diu victrix super æquoris vndas
Cardine ab occiduo classis onusta redis.

Diuitias Orbis quas congerit vltimus, atque
Argenti, atque auri pondera prome ſinu.
Americæ impoſitus curæ Ludouicus ab Aula
Hiſpana incolumem per ſua iuſſa vehit.
Defuit haud quaquam precibus placare Tonantem,
Regis vt obſequijs promptus honore prior.
Gratulor, & fauſtum pacis tibi vendicat omen,
Munia qui rerum ſumma Philippus obit.
Nequicquam obſiſtet ferrum auro, ſæcula condes
Aurea; nam cunctas hic feret annus opes.

Verbi Incarnatio, EPIG. LXIX.

VIrginis ad verbum, Verbum deſcendit Olympo
Suſcipit & paruo corpore membra puer.
Sic Deus occurrit fluitanti crimine mundo,
Mortua iam culpis ſic rediuiua ſalus.
O ſtupor! vt terram condat verbum edidit vnum,
Nunc opus vt redimat ſunt duo Verba Deo.

De Simia Peti. EPIG. LXX.

INſidis rapta eſt famulis iam tota ſupellex,
Dum Petus è læſo gutture fata timet.
Simia tunc etiam ſeruos imitata Galerum
Abſtulit, & fugiens condere furta parat.

Aſpexit

Aſpexit Languens feſtiuo hæc facta cachinno,
Quô rupta eſt ſubitò turgida plaga gulæ.
Quis te raptricem damnabit ſimia, quando
Per te vel vitæ munera cœpit herus!

De D. VRRACA, quæ, mutata veſte, Fernandum Gonſalez virum Caſtellæ Comitem à vinculis Legionis Regis in libertatem aſſeruit.

EPIGRAMMA LXXI.

DEcipit Eua virũ, proditq; miſerrima nudum,
Stulta quod induxit criminis eſſe reum.
Sic pœnæ, & culpæ religari colla catenis
Compulit, ac vitæ tædia mille pati,
O quam diſſimilis Comitem iuuat vxor amantem,
Dum male fraterno carcere vinctus agit.
Rex præbet Germanæ aditum, quæ mutat amictum,
Clauſa manet, fœmina creditus ille fugit.
Quæ facit immunem Vinclis Vrraca maritum
Primæua Coniux Coniuge maior erit.

In Sanctium Caſtellæ Regem.

EPIGRAMMA LXXII.

INſequitur telo fugientem Sanctius Aprum,
Qui latebras quærens in ſacra templa fugit.

Eleuat in vulnus dextram Rex. Ecce rigescit,
Ne cadere in sanctam quem petit æd equeat.
Pœnitet incœpti, robur reuocatur vt ante,
Et manus officium perficit apta suum.
Venantem cesset venerari turba Dianam,
Sed veri stupeat mitia facta Dei,
Hæc nemora vrgebat iaculis: Pan Rector Olympi
Vel pius in pauidas continet arma feras.

Cido RODERICO de VIVAR licet mortuo Victori.

EPIGRAMMA LXXIII.

CAstra Valentinos inuadunt Maurica muros,
Turia fœcundis quos breuis ambit aquis,
Interitus Cidi tutamina dempserat Vrbi,
Actenus incolumis, quo duce, semper erat.
Quid pius efficiat tanto sine vindice Miles?
Omnia cui nullum sæcla tulere parem.
Inuictum Domini corpus viuentis ad instar
Educunt, hostes hæc simulacra fugant.
Pugnatur, multo complentur funere campi,
Flumina Barbarico tincta cruore rubent.
Mars es victricem versans per prælia vitam,
Mortuus aduersos Mors velut ipsa domas.

Eidem,

Eidem, Epig. LXXIV.

Maxime Bellantum quoſcumq; Hiſpania vidit,
Cui Cidi nomen Maurica turba dedit.
Hoc domini titulo ſic te coluere merentem,
Regna tot auſpicijs ſæpe ſubacta tuis.
Viciſti viuus, ſed plures mortuus hoſtes,
Nam potiore tui parte ſuperſtes eras.

De Vvamba Rege Gotho in Hiſpania.

Epigramma LXXV.

Scandit ad Heſperiæ faſtigia celſa coronæ,
Et capit à ſacra Gothica ſceptra manu.
Portentum acceſſit luſtranti chriſmate Vvambam,
Protinus è ſummo vertice fugit Apis.
Dum cinctum Auguſto linquit diademate Regem
Dulcis auis tacita ſic ratione docet.
Diſcite Regnantes moderamina veſtra, ſuauis
Mellis habere parum, fellis habere nimis.

Bvccina Iosve. Epig. LXXVI.

Vt ſacra ſeptenum circumfert Bvccina *cantum,*
Mœnia non alio robore fracta labant.
Sic via facta pijs, ſontem ſæuitur in vrbem

Cuncto cruentato marte perempta cadunt,
Vrbs ego, mens Murus, sensus imbellia tela,
Quæ scelus omnigeno fortius hoste premit.
Hæc sunt quæ pariunt subitam tormenta ruinam,
Hæc tuba Diuini *iudicis ora præit.*

FERDINANDVS Rex cognomento Sanctus binis Sacris DEI-PARÆ Iconibus admissis comitibus expeditionem in Mauros parat.

EPIGRAMMA LXXVII.

MVltiplici Mauros miramur marte cadentes,
Vtque catenatus sub iuga Bætis eat.
Corduba prima subest armis; mox Vbeta cedit,
Deinde Gennensis mœnia tradit Arabs.
Hispalis obsessos tibi subijcit vltima muros,
Fernande innocuum cingere digna caput,
Pallas adest genti Præses, Bellonaque Iberæ?
Aut alio peragi Numine tanta rear.
Non tua te virtus iuuit, geminamque Mariæ
Ducta per effigiem signa, ducesque pios.
Non aliter priscus confecit bella Baracus.
Debora qua vicit, quáque Iabella comes.

Roderico

RODERICO CALDERONIO Capite plexo Matriti, An. 1621.

EPIGRAMMA LXXVIII.

INuidiosus agit terris RODERICVS *Iberis,*
Eminet impulsu quo grauiore ruat.
Carnifici fert colla reus, sed criminis illi
Non nota, sed potius summus habetur honos.
Vt pius iratum nouit placare Tonantem?
Creditur ęthereas dignus adire plagas.
Alternata vices ostentant fata notandas,
Gloria dat pœnam, pœna dat ipsa decus.

In Cœliam. EPIG. LXXIX.

ALba manus, facies etiam stat concolor albo;
Albedo collum, pectus & omne tenet.
Cœlia, qui tanto næuus spectatur in albo!
Liuore atratum cor mihi Næuus ais.

Ad Hispaniam. EPIG. LXXX.

QVæ tibi Relligio pandit quæ sidera. Gentis
Gloria? Nobilitas, bellica serta, Toga.
Limina quæ Regni? Lapsus Titanis, & Ortus.
Iustitia in populos? sancta vel ipsa Themis.

Qualis

Qualis amor? veræ fidei sacra Romula. Quale
Est odium? Falsi dogmatis atra lues
Diuitiæ? toto quantæ versantur in orbe.
Paupertas illa est quam probat ipse Deus.
Nautica quæ virtus? Thetidis lustrare recessus
Ignota, & gemini subdere Regna maris.
Fortuna? inferior gestis. Prudentia? summa.
Robur in aduersis; hoc loca prima tenet.
Fama! vident passim cuncta decora inclyta gentes,
Qualia vulgari non eguere tuba.

De Campana quadam à Ramiro Aragoniæ Rege ad necem optimatum pulsata.

EPIGRAMMA LXXX.

Cymbala vocali poscunt Campana metallo
Regis ab Oscensi quæ lare pulsa tonant.
Conueniunt Proceres, quorum sub tecta securis
Ramiri Imperio colla superba secat.
Non Siculus vesper memoretur cæde cruentus,
Sed qui Campano prauius ære necat.

De Cymbâ Lapideâ, quâ D. Iacobi corpus in Hiſpaniam appulit.

EPIGRAMMA LXXXI.

EXuuias, Iacobe, tuas, ſub imagine Cymbæ,
Per mare veliuolum concaua ſaxa ferunt.
Obſtupuit pelagus Nauis miracula, cyclas
Creditur æquoreas mobilis ire vias:
Emenſa hæc tandem, Neptuni regna tumentis,
Appulit Heſperias prodioſa plagas.
Non lapis obruitur Iacobum amplexus in vndis
Hæreſis an merget quam docet ille fidem!

Ad PHILIPPVM IV. MAGNVM Hiſpaniarum Regem.

EPIGRAMMA LXXXII.

O pacis, bellique Decus, ſi Quarte PHILIPPE,
Nomine: Regnantum gloria prima tamen.
Vectus equo nemora ingrederis, cum crebra coruſcant
Fulgura, nubiferis præcipitata plagis.
Nec procul à plantis trifida regalibus ignis
Cuſpide vicini contigit arua ſoli.
Quali te Superi cenſent ratione verendum,
Fulmina qui pedibus ſuppoſuere tuis!

Fernandus

FERNANDVS Castellæ Rex sic Diuum Iacobum Orando alloquitur.

EPIGRAMMA LXXXIII.

LVsiadæ bello furiunt, Iacobe, labantis
Vindice te Regni sint loca tuta mei.
Exuuijs decoras tecti quod corporis almis
Infestæ vsurpent ne patiare manus.
En subitum victor munimen condidit Hostis
Non procul à Lerici rura rigantis aquis.
Assidua exagitant nostros dispenda passim;
Inde nec vlla subit, te nisi dante, salus.
Rex ait. Admoto cum cesserit agmine in vrbem,
Arcis & obsidio iam remouenda foret.
Augusto in somnis occurrit Apostolus ore
Pectoraque hic dictis Principis ægra leuat.
Desine sollicitâ versare pericula mente;
Mars tibi, Marsque tuis cœlitus arma geram.
Aduersas premet Axis opes, inimicaque turris
Concidet auxilij robore fracta mei.
Nec mora Custodes occidunt fulmina, & arcem
In cineres versam prostituere solo.
Parta tibi Fernande, manet victoria, Diuus
Additus auspicijs militat vsque tuis.

Nomine

Nomine Iacobus tonitru si filius olim,
A factis tonitru iam meret esse parens.

Quorundam Amantium infortunium.

EPIGRAMMA LXXXIV.

FEstinus relegit Maurus vestigia Natæ,
Quæ Comes Eulogio fit fugitiua suo.
Iam, iam, consequitur genitor furiosus amantem
Fessa puellari dum pede carpit iter.
Quid facient? celsæ repunt ad culmina petræ,
Ex illa vt vitent vincula, probra, necem.
Perdit Amor pennas, exsum sed amantibus arctat
A summo præceps sedat vterque iugo.
Nescit fræna nefas, protendit Abyssus Abyssum
Ne mirere tamen pessima suadet Amor,

De Victoria apud Nauas de Tolosa à tribus Regibus Castelliæ, Aragoniæ, & Nauarræ contra Mauros reportata.

EPIGRAMMA LXXXV.

CEde manus acies Hispanis æmula signis
Bella quid Ægypti ducis ab vsque plagis?
Occurrunt fortes triplici sub Rege phalanges
Celsa Marianum quà petit astra iugum.

Collatis

Collatis certant vexillis agmina, Mauri
Coguntur trepidæ vertere terga fugæ.
Christiadum sic parta salus, crucis vlta triumphum,
Inuicto pietas milite cantat Io.
Ast vbi præcipuam retulit victoria cladem,
Nauarum celebri nomine gaudet humus.
Africa quâ premitur Nauis ceu naufraga Nauis,
Nauis Apostolicæ gloria quanta fuit!

Princeps Regis Nauarræ filius falso Sanctiam Matrem de adulterio apud Patrem accusans.

EPIGRAMMA XXXLVI.

PRoditur heu Genitrix thalamũ vitiasse paternũ.
Impie cur falso crimine testis ades.
Causa mali est sonipes? quem denegat illa petenti
Imperia vt Regis firma manere queant.
Inde ruis, scelerate, nefas moliris, honorem,
Et matris vitam perdere morte paras.
O qui festinas vetitum tractare lupatum,
Non potis es linguæ fræna tenere tuæ,

QVATVOR VIRTVTES Cardinales.

IVSTITIA. LXXXVII.

QVatuor astruitur virtutum Cardine vita
In commune bonum Themidi tria iura tuenti
Præcipuus debetur honos. Nam præside semper
Hac, leges meritum creduntur habere vigorem,
Et pœnam sontes, & digni præmia ciues,
Ac rata seruatis consistere fœdera pactis,
Princeps, aut Proceres, aut Plebs ditione fruatur.

FORTITVDO. LXXXVIII.

IVstitiam sequitur forti quæ nomine gaudet,
Ac iubet immanes constanter adire labores
Et nullis vnquam succumbere velle periclis,
Quin etiam indomito sic mens adamante rigescit,
Vt quamuis fractis vulsus ruat axibus æther,
Impauidam feriant labentia pondera Mundi.

TEMPERANTIA. LXXXIX.

LAude nitens simili violentos temperat æstus,
Compressus posita sedetur vt impetus ira

Pectoris

Pectoris, ac faciles ratio moderetur habenas,
Neue cupidineis præcordia subdat amoris
Imperio, aut stimulis pungi patiatur auaris;
Sed cadat Ambitio collum religata catenis.

PRVDENTIA. XC.

SEdula mortales Prudentia dirigit actus
Consiliis metuenda suis discrimina rerum
Prospiciens, casusque æui scrutata vetusti
Tempora præsenti reuoluta examine pensat.
Seu Pacis iussis enses, Clypeique feroces
Vomeris in formam rigeant; seu bella cruento
Acta odio, miseras inuertant cladibus Vrbes.
Illa regit certo dubias moderamina mentes,
Et vehit ad portum vitæ data vela secundis
Flatibus, ancipiti quæ turbine iacta laborat.

TRES VIRTVTES Theologales.

FIDES. XCI.

DE tribus alma Fides virtutibus instruit Orbem
Cernere mẽte Deũ, atq; oculis imperuia nostris
Numinis

Numinis afflatu mysteria credere suadet
Hac duce, Carnificumque minas, vultumque Tyranni
Instantis toties teneræ spreuere Puellæ,
Quantumuis valido gestantes robore fulta
Corda viri. Vel quæ multis miracula passim
Gesta canam? Fidei famulata cacumina voci
Distantem petiere locum; positaque leones
Massyli feritate iugum, Tygresque tulerunt;
Ac tumida horrificos sedarunt æquora fluctus.

SPES. XCII.

ALtera supremi promissis nixa Tonantis
Sperat, & ignitis ascendit ad æthera votis
Munera fortunæ ridens, & quicquid anhelat
Ambitio, ac nullis satianda potentia rebus:
Gaudia nec quærit parientia sæpe dolorem:
Sed bona mortalem petit excedentia captum.
Illius auspicijs duros tolerare labores
Optarunt: alij laqueata Palatia Regum
Deseruere sacro tacitæ pro munere vitæ,
Prorsus & obsequijs se deuinxere Tonantis:
Magna licet gererent patrimonia, & altus auitæ
Nobilitatis apex ad culmina ferret honoris.
Vsque adeò aspernantur opes, maioraque nacti
Commoda, diuitijs animi potiuntur honestis.

CHARITAS. XCIII.

Tertia victa cadit sacris data præda fauillis
Flaminis ætherei puros iaculantis amores.
Quid! quod inextinctum fert præstantissima lumen
Ante alias ceu Luna micans, ceu Cyncthius ardens
Splendida conspicuo supereminet astra nitore
Nec tantum humanos pulcherrima perficit artus;
Sed superos etiam comitatur in æthere ciues.
Vnica & ad Triados solium venerabilis astat.

Incenso puluere Tormentario, quo nauis comburitur Virgo Cypria castitatem a Turcis tutatur.

EPIGRAMMA XCIV.

Cypriades inter gazas it præda Tyranno
Odrisio patrijs rapta Puella focis
Maluit hæc mortem potius, quam subdere turpi
Se Veneri, & Regis viuere sponsa feri
Incendit qua vecta rate est: Vulcanus in omnes
Bacchatur partes: vsta carina manet.
Clarior occumbit flammis quam flamma peremit,
Et cinis illustri funere vita fuit.
Non Cypriæ pelagus matri natale, Pudori
Sed Cyprio quod nunc Vnda sit Vrna canent,

Luscinia

LVSCINIA ÆMVLANS, vel sui morte Cytharam.

EPIGRAMMA XCV.

AVrato Fidicem pulsabat pectine chordas,
Qua viridem frondens arbor opacat humum.
Æmula tunc cytharæ sociat LVSCINIA *cantum,*
Et studet Aoniæ vincere fila lyræ.
Barbita subsequitur non par certamine, donec
Disperijt modulis exanimata suis.
Inscribas tumulo. Moriens Philomela canendo
Admonet officij munus obire viros,

De FERNANDO ANTOLINEZ, MILITE. EPIG. XCVI.

DVm subit exigui Christus velamina panis
Strenuus inflexo poplite miles adest.
Interea Maurus castris infensus Iberis
Non expectato prælia marte ciet.
Festinant omnes; Sacris tamen astitit ille,
Aliger è cælo supplicis arma gerit.
Discere Belligeri maneant vbi serta Triumphi.
Si benè conaris vincere, Vince pius;

CASTELLA pretio Accipitris, & Equi à ditione Legionensis Regni liberata.

EPIGRAMMA XCVII.

TVrrigeræ quondam Legionis sceptra tenenti
Castellanus erat sub ditione Comes,
Tollat vt obsequium solerti callidus arte
Cornipedem, ac nimio fœnore tradit auem.
Post impar pretio regalis Gaza solutos.
Vaccœos reddit iure grauante diu.
Qua tibi sorte nocent Rex instrumenta triumphi
Cum prædam Accipiter frænaque perdit Equus.

In Natalem Serenissimi Hispaniarum Principis PHILIPPI PROSPERI,

ODE XCVIII.

NAtus Hispano nitet orbe Princeps
Prosper ærumnas, & iniqua terris
Fœta qui pellat, recreetque læto.
Nomine Mundum.
Sideris flammis rutilat benigni.
Lucidos Phœbi radios præire,
Et procul toto remouere doctus
Nubila Cælo.

Eius

Eius aſpectu fera monſtra cedent
Et iugum tygres patientur vltrò
Quoſque Maſſili generant receſſus.
Teſqua leones.

Quin vago fluctus pelago recedent,
Trux agat motas licet Eurus vndas,
Atque vexatas laceret carinas
Turbine Corus.

O plagæ clarum iubar Occidentis
Te colorati ſuperent Eoi,
Quos propinquanti rubicundus axe
Detegit ortus.

Tu beas Regni meliore gentes
Lumine Hiſpani, valida labantes
Spe leuaturus populos habendæ
Laudis in æuum.

Ecce ad amborum columen Parentum
Creſcis in magnos Pater alte honores,
Cui parat dudum Lybiæ triumphos,
Sceptraque tellus.

Qualis Afrorum ſpolijs ſuperbus,
Carolus Pœnas ſuperauit arces,
Vltus à Mauris malè ſubiugata
Regna tot annos.

Neu breues rebus meditare gestis
Limites, cunctas tibi posce gentes,
Quà pocelloso vagus ambit Orbem
Æquore Nereus.

Ad Diam SANCHEZ DE FINES, vnde Originem Finorum Illustrissima Domus traxit.

EPIGRAMMA IC.

IT tua vocalis totum, Dia, Fama, per orbem
Quæ non longæuo tempore victa cadit.
Nam tu nobilium fons es, te clara nepotum
Pone venit series Martis, & Artis amans.
Dum primus FINES *Gentis iactaris Origo.*
Phœnicis PHOENIX *stirpis ouantis eris.*

AD EVNDEM. EPIG. C.

NOn tibi deficient Radij, stirps inclyta? Namq; est
Ortus nobilibus seu DIA, *siuè* DIES.

AD EVNDEM. EPIG. CI.

AGgrederis, victorq; subis quam sanctius Arcem,
Quæque ferox Mauris mœnia firma rapis,
Ista Toletano concedis munera templo,
Hæc data sunt patrio bellica dona Deo,

Capta

Capta manu decorat cur te cognomine FINES*?*
Pars hæc è ſpolijs cur tibi ſola manent?
Agnoſco. FINIS *ſic tu cantaberis hoſti,*
Et caput Illuſtris ſic ſine fine domus.

Ex Hiſtoricis vna hæc ad Carmen traducta narratio.

EPIGRAMMA CII.

IMperij Dominus Græci, cunctiſque verendus
Finibus Emmanuël pietatis, & indolis æqua
Laude nitens placidæ, ac varijs ſibi ſubdita donis
Oppida pelliciens, poſt quam ſuperauerat acres
Hungaricæ populos Gentis, ſpolia ampla Mariæ
Chriſtiparæ Victor ſacram ſuſpendit ad aram,
Atque Deo gratus meritos ita ſoluit honores
De hinc mæſtum officijs generum ſolatus amicis
Balduinum excepit, qui nomine tertius illo
Regna gubernauit ſanctæ metuenda Sionis:
Attamen admotis nimium calcaribus armos
Dum rapidi citus urget equi, contunditur ictu
Brachium, vt Auguſti ſtudium præfulgeat ardens,
Et ſocer imponat femori nec deſinat ægrum
Sceptrigerâ curare manu per mille medendi
Tentamenta iuuans, donec perfecta ſalutis

Munera contulerit, cæsosque refecerit artus
Arte Machaoniâ melius fateatur vt Orbis
Quam bene maiestas facili superetur amore.

GONSALVO FERNANDEZ de CORDVBA
Magno Copiarum Imperatori.

EPIGRAMMA CIII.

APpula quà Tellus magnum laxatur in æquor
Quà tuta est muris, Ciriniola, suis.
Quà validis miscet GONSALVVS *bella Maniplis*
Gallica, iam castris deficiente die.
It face correptus Puluis nigra semina flammæ,
Emicat hinc fulgor, Francus & inde fugit.
Præuia Vincenti cur sunt incendia nitri,
Dic mihi Calliope, nam tibi causa patet.
Vincenti vt Iosue protraxit lumina Phœbus
Haud secus Hispano contulit ille rogus.

De Die natali Diui Ioannis Baptistæ,

EPIGRAMMA CIV.

QVid nobis tempus referat Natale Ioannis?
Baptistâ Superi quid veniente dabunt.
Expellet tenebras accensis Gratia flammis,
Ostendent rectas quæ sine nocte vias.

Expectata

Expectata igitur tandem lux aurea terris
Innocuo rutiles lumine picta genas.
O propera ſolemque præi ſine fine coruſcum
Alma dies, verum teſtificata iubar,

DEI-PARÆ cognomento Roſarij,

EPIGRAMMA CV.

NOn eſt purpureo Veneris ſaturata cruore,
Vernat ad officium quæ Roſa, Diua, tuum.
Hæc alio fert picta genas de muricis oſtro,
Tu das puniceis luxuriare comis.
Chriſtiadum Ægeas claſſis dum vecta per vndas
Fertur in Odriſias fœdere iuncta rates.
Accurris vocitata ſacris, pia, Virgo, Roſetis
Te Duce miſcentur prælia, vincis, ouas.
Æternum, vt maneant tanti monumenta triumphi
Tunc Roſa Threicio ſanguine tincta fuit.

Aulicus à morbo confirmatus Authori ac Domino ſuo,

EPIGRAMMA CV.

SYmbola perpendis? multa dic inter Iberos
Ecce Benauidius nobilitate Valens.
Geſta petis? Belli fulmen, dic inter Iberos
Ecce Benauidius, Pacis & ipſa ſalus.

Scrutaris

Scrutaris trabeas? Regis dic inter Iberos
Ecce Benauidius munera prima subit,
Accedis Calami pensum? dic inter Iberos,
Ecce Benauidius verba Maronis habet.
Obseruas mores? summâ dic inter Iberos
Ecce Benauidius Relligione micat.
Suspicis Ægroti versat quas pectore curas,
Sistitur vt nostro corpore vita fugax:
Vt data sint illô proferri tempora; vel dic
Ecce Benauidius, qui Bona-vita simul.

Authoris Responsio.

Epigramma CVI.

SOspite te lætor viuas mihi charus, vt extet
Mutuus amborum pignus Amoris Amor.

DIVO PETRO MARTYRI.

Epigramma CVII.

HÆresis eloquium mysteria sacra professum
Sic timet, vt Petrvm *tollere morte parat,*
Comenses petit ille vias, vbi conditus armis
Barbarus incautum vulnere sternit humi.
Effluxit sanguis, valuit quo scribere Martyr
Credere se quicquid symbola sacra docent.

Pro

Pro calamo est index, saxo supplente papyrum,
Quodque tacet PETRVS, PETRA *notata refert.*

Enigma in istis duobus verbis : *Orimur, Morimur.*

EPIGRAMMA CVIII.

TRunca caput viuo, perstat sine vertice vita,
Si caput imponas exanimata cado.

In LVSITANIAM REBELLEM.

EPIGRAMMA CIX.

QVi furor, ô Ciues, cur pila minantia pilis
Opponi fœdo marte cruenta iuuat?
Lusiades vos causa mali, dum subdita quondam
Aufertis placidô colla superba iugô.
Nunc iterum reuocate animos ad iussa Philippi;
Suplicibus mitis nam datur illa Reis.
Pergitis è Luso haud nomen; sed turbine belli
Ceu Pila versatis nomina Lusus erit.

VOTVM SPIRITVS SANCTI.

EPIRAMMA CIX.

PHosphore redde diem, quid cœlica dona moraris
Flamine venturo Phosphore redde diem.

Te veniente, Polo viduæ solamina Matris,
Gentis Apostolicæ robora, lingua, Sophos,
Dogmata qui doceat Fidei, verique Magister,
Et veniet mentis gaudia, cordis amor.
Phosphore segnis adhuc? piger ò concede rogatus?
Redde Diem: nolis reddere: Redde Deum..

In FABBAM, & LAPPVM,
EPIGRAMMA CX.

VIuite fælices Thalami quos vincula nectunt,
Ducite per lætas fœdera iuncta moras.
Penelopes decoret FABBAM *Prudentia, Vatis*
Threicij LAPPVM *cernat adesse fidem.*
Pax veniet reuocata polo: stet certa voluntas
Non secus ac Niobe stirps generosa fluat.
Altera sit nimium constans vt Portia coniux;
Sponsus vt eximius floreat ipse Cato
Affluat Attalicæ numerosa pecunia gazæ
Affluat & virtus, gloria, fama, vigor.
Hoc rogo, non vitæ longæuo tempore cursum,
Contigit hoc illis cum sit vterque senex.

De sacra Icone D. Dominici à Soriano.
EPIGRAMMA CXI.

INspice stelliferi reseratur Ianua tecti,
Labitur expressi sacra Tabella Patris,

Qui

Qui iam Guzmanus penetrauit Diuus Olympum
Per Mariam ætherea pictus ab arce redit.
Ne data de supero credant Ancilia Regno,
Sic data de supero linea dona Polo.
Illa quidem falso referunt tutamen in Vrbe,
Præsidium verè hæc urbis, & orbis habent.

De SERVATORE rediuiuo ascendente in Cœlum,

EPIGRAMMA CXII.

SScandit Io, rediuiua salus super astra triumphans
Pertentent pectus gaudia, scandit Io.
Ah valeat viduata suo modò Numine tellus.
Quò Deus intento lumine tendat Amor.
Iam morior, si vita fugit. Cur vinctus in isto
Spiritus angusto Corpore viuis iners.
Abscedas terris superas spectator in Arcem,
Et si vis etiam viuere, viue polo.

BEATO FOELICI,

EPIGRAMMA CXIII.

QVi te portauit ventrem Marcella beatum
Ad turbas Christo, cum loqueretur, ait.
Quæ passim cunctæ celebrant præconia gentes,
Inter præstantes Relligione viros,

Haud

Haud aliter ſacra Franciſci vexilla ſequutus
Fœlix fœlicis nomen, & omen habet.
Vt IESVM *orantis deduxit ab æthere in Vlnas*
Arridens meritis Diua Maria pijs.
Audiat ô Fœlix? cui vel portare Tonantem
Corpore velatum præbuit ipſa Parens.

DEVS TRINVS, ET VNVS.

EPIGRAMMA CXIV.

TRuditur ex vno triplicatus ceſpite truncus;
Non ſemel ex vno vertice lympha triplex,
Interdum fundit ternos lux vna nitores:
Vnaque cum terna cuſpide tela volant.
Extenuat folium ternis ſe partibus vnum,
Quod viridi ficus cingit honore caput.
Componunt hominem ternis data munera dotis,
Sic dextra factus Numinis vnus adeſt.
Ramus, homo, folium, telum, lux vna valebunt
Vnius & Trini ſymbola ferre Dei.

DE REGE PELAGIO.

EPIGRAMMA CXV.

BEllantum innumeris Maurorum millibus actus
Auſeni fugiens Verticis antra petis.

Sed

Sed neque difficili virtus labat inclyta casu,
Sceptraque tutari iam prope lapsa paras.
Exoreris Phœnix suprema è clade Gothorum,
Pelagi, Patriæ Duxque Decusque tuæ.
Annuit Omnipotens cœptis, inimicaque pubes
Vulnere non viso concidit ante specus.
Pars perit obsistens, Duce te, Dux ipse potentum
Castrorum Alchmanas fata cruenta subit.
Pelagi in tumulo vixisti conditus antri
E tumulo Hispanis gloria summa venit.
In tumulo Montis mortem contemnis, Ibera
E tumulo surgit quin diuina salus.

FRANCISCVS, & EMMANVEL BENAVIDII,

Anagramma purum.

ECCE MVSÆ VENA MIRA INFLVIT BINIS.

EPIGRAMMA CXVI.

ITe alacres Patri similes per culmina recti
Herculis in morem carpite ouantis iter.
Virtutis signate vias, vrgete labore
Inclyto, & Aonijs tempora vestra modis
Inuitat gemino faciles Helicone sorores,

Delius

Delius auratam ſpondet vtrique lyram.
Quin etiam properſa meis datis omnia votis:
Grande vel ex paruo carmine ſurget opus,
Pergite laurigeri ſuperare cacumina Pindi,
Pergite quo numeris barbita veſtra ſonent.
Ecce decus BINIS MVSÆ MIRA INFLVIT *almæ*
VENA *Meduſæi gurgite Diues equi.*

CHRISTVS Sacramenti velamine,

EPIGRAMMA CXVII.

DÆdala quod paruo concludat Machina vitro
Arte Syracuſiæ ſidera cuncta manus.
Quòd Nucis anguſtum tenuis perarata putamen
Smyrneæ teneat carmina cuncta lyræ.
Quod Pharij Regina ſoli molita ſtupores,
Præbeat exiguo fercula multa cibo.
Admiranda ſibi notat hæc monimenta vetuſtas
At maiora nimis tempora noſtra ferunt.
Dum CHRISTI *corpus Cererem, ſanguiſque Lyæum*
Induit, ac verbum paucula verba trahunt.
Machina, tunc, Carmen, parùis nec Fercula dantur;
In paruo Magnus ſed datur ipſe Deus.

DIVÆ MAGDALENÆ.

EPIGRAMMA CXVIII.

Poscis aquas, poscisq; niues, dũ flamma medullas
Carpit, & immenso pectus ab igne calet.
Nequidquam illapsas animo super are fauillas
Percupis, has nullo frigore vincit hyems.
Falleris heu! nequeunt latices tibi demere flammas,
Magdala; namque auget paruula lympha rogos.
Viue flagrans vallata gelu, brumaque rigente
Sic inter nimias æstuat Æthna niues.

DE S. CATHERINA SENENSI;

Hortus conclusus Soror mea Sponsa. *Cant....*

EPIGRAMMA CXIX.

Llia virginitas promit: fert Pœna colorem
Pallentem violæ: stat Rosa Diuus Amor.
Spes Amarantus adest: Narcyssi condita Cœlo
Instar odoratas mens tua fundit opes.
Floribus his Hortum finxit tibi Gratia, clausum
Quem capitis vallant spinea serta tui.

DIVVS FIRMINVS,

Anagramma,

NIMIS• VIR FIDVS.

EPIGRAMMA CXX.

SI Doctor fidus, fidus si prima ministras
Vasconi fidei pabula Pastor oui.
Si Christi seruas fidus mandata; Tyranno
Fidus si tendis colla secanda truci.
Præsidium Patriæ si fidus ab æthere præstas
O fidibus FIDVS VIR *celebrande nimis.*

TEMPORE PACIS SANCIENDÆ APVD FONTIRABIAM,

Hispanis numeris de laudibus DD. ALOYSII DE HARO, Plenipotentiarij Carpij Marchionis, &c.

INCERTI AVTHORIS.

EPIGRAMMA CXXI.

EN cinco Lustros de Marcial Campaña
El Pais vaso siempre combatido:
Milan de confinantes inuadido;

Y las

Y las Sicilias de plebeya saña.
Armada contra España la Bretaña:
Y el Coraçon de España suprendido
Del Catalan, y Portuges latido;
Que aun en si aliente con raçon se estraña.
Pero dan tu valor, y tu prudençia
Resistençia à esta açion tan importuna,
Y honor, firmeza, y paz à la Corona.
Y da el valor que dio la resistençia
Aun mas, en que à pesar de la fortuna
Ni al alliado in se se abandona.

LATINITATE DONATVR.

QVinque potens lustris Gallus vexabat Iberum;
Insuber, & Belgæ iam prope victa phalanx
Interea Siculus ditione Colonus vtraque.
Dempserat Hispanum plebe furente iugum.
Accessit duplex Regni iactura rebellis
Barcino quaque tui Lusia quaque tui.
Cum subita indicit Rutupinus bella Tyrannus,
Bella timenda salo, bella timenda solo
Sola tamen virtus, prudentiaque obstitit, acrem
Fortunam pedibus supposítura tuis.
Pax datur imperijs, & honos manet integer, atque

Tuta fides ſocijs vix habitura fidem.
Vtile deſpicitur protectus vt extet Amicus,
Huic referunt laudi ſæcula nulla parem!

De D. FRANCISCO ASSISIO, ac eius Religioſa Familia.

EPIGRAMMA CXXII.

ASſyrij, Medi, Perſæ, Græcique Tyranni
Aut domito Gazas Romæ quot Orbe tulit
Regna-ve temporibus quæcumque ſequentibus extant
Sufficere inſumptus vix potuiſſe rear.
Quo licet inſtitui ſeu Pax, ſeu Bella paratu
Regia nutriri nec ſatis vna queat:
Tu tamen interea Pauper licet omnia nactus
Stimmata qui IESV *corpore fixa geris,*
Qui te ſectantur ditare videris alumnos,
Templáque mille potens, templáque ſolus habes.
Tantum demiſſæ præſtat fiducia mentis,
Gratiáque immenſi Numinis alma valet.
Sic offerre piæ certant tibi munera gentes,
Et nunquam feſſa ſedulitate colunt.
Natis ſumma tuis, Franciſce quid obſtat egeſtas,
Eſſe ſimul ſummas cum patiatur opes.

AD

Ad Natalitium diem Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Præſulis D. D. IOSEPHI GONSALEZ à ſupremis Iuſtitiæ Camaræ, ac ſtatus Caſtellæ Conciliis.

MVSA TRIPVDIANS.

EPIGRAMMA CXXIII.

TE dedit in lucem ſupremi fama ſenatus,
Quæ tulit Hiſpano commoda magna ſolo.
Turrigeram Arnetum tunc vexit ad æthera frontem,
Auxit & antiquas tantus Alumnus opes.
Te naſcente Themis redimiuit tempora lauro,
Te fouit ſacro culta Minerua ſinu.
Quid referam eloquium, rigidæ quid mentis acumen,
Quid recti columen, iuſtitiæque decus?
Cuncta tenes doctus ſophiæ miracula, vincis
Tullius, & ſæcli Barthelus huius ades
Parua loquor Leges, & Iura ſuprema reſoluis,
Imperij, ac Reges quà ratione vigent.
O quoties titulos ſceptri tutatus Hiberi
Inter pugnantum nomina maior ouas.
Viue diu fælix ſuperatis Neſtoris annis
O Fenix nullo tempore digne mori!

In Cynonem CXXIV.

INsidijs tibi fida Synon cur Pergama prodis?
Vt dicar Patriæ consuluisse meæ.

Illustrissimo & Reuerendissimo D. DIDACO de TEIADA, & la GVARDIA, Episcopo Pompelonensi.

EPIGRAMMA CXXV.

QVæ Pietas, quæ cura Poli, qua Pastor ouile,
DIDACE, custodis sedulitate tuum.
Hinc Iuuat eloquij diuino nectare flumen;
Hinc iuuat excelso dogmate sancta Sophos.
Cultus ab Astræa Populorum cultor adhæres,
Teque beat proprij Lanx bene recta gregis.
Præsule te magno Pompei mœnia magni
In meliùs nostro tempore tuta manent:
Tuta patrocinio remanent, quod sede refundunt
Æthereâ Superi, Sidereusque chorus.
Iam stygijs vallata malis bacchetur in Vrbem,
Vindice te, frustrà damna Megæra feret.
TEIADA *es faustum cognomen cedat in Omen*
Te duce, TVTA *gerat, te duce* TECTA *caput.*

Finis Libri Secundi.

LIBER

LIBER III.

HISPANORVM REGVM SERIES.

I, *Tartessiacæ Regum per Nomina Gentis*
Longaque sceptriferos incipe Musa Duces.
Primus init Rector moderamina, qui quoque primus
Est Pater, est Princeps omnibus vnus ADAM,
Ponè veni SETHVS, *iusti post funus Abeli.*
Quæ data sunt Matri pignora chara suæ.
Mox ENOS *regnat :* CAINAM *vestigia Patris*
Inde legit. Rex post MALALEELQVE *fuit.*
Successor LARED *properat, cui filius Enoc*
Viuus adit vetiti claustra beata loci.
Iudice venturo veniet tuba certa supremi
Qui excidij, & vates damna propinqua canet.
En cur natus Enoc patrias moderatur habenas
MATVSALEM, *Noëcus quem sibi cernit Auum.*
Iustus Auum NOECVS *cernit, mundoque superstes*
Vndique lethalis dum fera sæuit hyems.
Diuinô faber imperio construxerat arcam ,

Laxatæ cladem quæ superaret aquæ
Ingreditur, tutusque premit, quo cuncta premuntur
Pondus, & eludit turgida Regna maris.
Funditur intereà Noaco data turba Nepotum,
Itque peregrinas ad noua Regna plagas,
TVBAL *aui iussit soluit recturus Iberos,*
Occiduumque sibi, tradita Regna, solum.
Setubalem condit, debes quoque Tarraco muros,
Atque Tudela tuos, atque sagunte lares.
Filius inde subit Regnorum culmen IBERVS,
Deque suo dici nomine iussit humum.
Hc dum fata premunt succedit IDVBEDA *Rector,*
Et BRIGVS, *atq;* TAGVS *postera sceptra tenent.*
BÆTVS *habet dare iura suis post funera Patris*
Regnantis, GERYON *belliger inde venit.*
En triplex sequitur GERYON. *Mox regna gubernat*
HISPANVS, *vnde ferunt Hispalis esse caput.*
Cui, te condecorat quoque nunc Hispania tellus,
HISPANE, *illustri nomine cessit honos.*
HERCVLIS *accedunt faces. Post* HESPERVS. *Inde*
Pondera regali munere tollit ATLAS.
Hæc loca complentur SICORO *Pergitque* SICANVS.
Ex hoc SICELEI *stat Diadema comis*
Post Patrem LVSVS *trabeas suscepit, & ostrum,*

Lusia

Lusiades clarum, quo Duce, nomen habent.
Sceptra dedit SICLVO *Lusus, populosque regendos.*
TESTATRITO *longo stemmate cura venit.*
Succedit ROMVS; *Romo* PALATVVS, *isti*
Tu fere montanis accola, CACE, *iugis.*
Aduenit HERITRVS, *summo* GORGORIS *honore*
Cingitur. Extincto regnat ABIDIS *Auo.*
Hoc regnante iterum cessit Pax aurea terris,
Ciuicus enituit splendor, & alma fides.
Effulsit populis studium Virtutis, Honesti
Obsequium toto pectore, Iuris Amor.
Postquam Magnanimum rapuit lux vltima Regem,
Sceptra ferunt viduos, & sine Rege dies,
Tunc etiam nullus pluuio laxatur ab axe
Imber, & obscuro nec cadit vnda Ioue.
Bisque super denos sex tunc reuolutus in Orbem
Æthereum siccus conficit annus iter.
Quid tunc terra? sinum rimis patefecit hiulcis
Floriger, & rabido lumine squallet honos.
Lumine læsa Ceres non curuat flaua cacumen;
Phœbus & in Bromij dulcia dona furit.
Lubricus haud placido glomeratur murmure riuus,
Sistitur exhaustô gurgite fontis aqua.
Frondentes æstus Nemorum populatur honores,
Arboris

Arboris exonerat feruidus ardor opes,
Gens tantis agitata malis fugitiua penates
Linquit, & ignotis fit peregrina plagis.
Ast iterum postquam resupinat Aquarius vrnam,
Arua virent multo germine, pubet Ager.
Fama volat veri populis hæc nuncia priscis,
Qui repetunt patrios limina chara lares.
Non tamen accedunt pariter cum Gente, Dynastæ,
Publica sed populo iura iubente vigent.
Libera persistit, donec vix Cæsare victa
Subdita Romano cogitur esse iugo.
Iam noua Regnantum series florescit, at illi
Ordine prælongo sic data sceptra ferunt.
Imperat AVGVSTVS. TIBERIVS, *inde proteruus*
CALIGVLA. *Hinc pergit* CLAVDIVS *ire throno.*
Iam vitijs memorande venis NERO *perfide, cuique*
Mellea vox numeris, aspera cæde manus.
Tẽpore GALBA *breui, simul* OTHO, VITELLIVS *ad-*
Inclyte cumq; tuo, VESPASIANE, TITO. [*sunt.*
DVMITIANVS *atrox sequitur. Post* NERVA *benignus*
TRAIANVSQVE *nitent* ADRIANVSQVE *probi.*
Et pius, & magnus capit ANTONINVS *honores.*
Ac Sophiæ AVRELIVS *scandit ad alta Pater.*
COMMODVS *accedit, Celebrandus &* ÆLIVS *actis.*
Post

Post IVLIANE *tenes. Postque* SEVERE *decus.*
Insistit Princeps BASIANVS *moxque* MACRINVS.
Inde regit SOBOLES, *ô Caracalla, tua.*
Regnat ALEXANDER. *Sons* MAXIMINVS *habenas*
Imperij celeres, & PVPIENVS *init.*
GORDIANVS *pergit non longius. Ecce* PHILIPPVS.
Mox DECIVS *Regni munera celsa petit.*
GALLO *fluxit honos, Patri simul alta potestas.*
Hesperiæ Princeps ÆMILIANVS *ouat.*
Æmulus Eumenidum bacchatus cæde Tyrannus
Christiadum, populos VALLERIANVS *habet.*
NATVS, *& Hispano fruitur post* CLAVDIVS *Orbe.*
AVRELIANVS *Rex. Rex* TACITVSQVE *venit.*
Nunc PROBVS *est Dominus.* CARVS *cui Rector adhæ-*
Post solio incumbis, DOCLETIANE, *ferox.* [*ret.*
MAXIMIANVS *habet tecum dare iura, parantur*
E quibus in Christi barbara damna fidem.
COSTANTI *huc properes. Consors* GALERIVS *adstet:*
Tu sanctis notus moribus, ille malis.
CONSTANTINE *venis columen, culmenque Piorum*
Te rectore, regit subdita Regna fides.
Puppis, ab æthereo ducunt quam Flamina Regno,
Tuta per æquoreum, te Duce, tendit iter
Incipit Imperium per te sub lege Tonantis

Tollere,

Tollere Barbarico signa soluta metu.
Quin vbi Roma fuit terræ Regina subacta
Numinis Arbitrio Maxima Roma manet.
Vt caput abluitur renouantis fonte lauacri
Cessit ab infectis artubus atra lues.
Lepra fugit membris, animo sed culpa recedit.
Is toto purus corpore, mente pius.
Suscipit hinc Cæsar domitum CONSTANTIVS *orbem,*
Si sceptro similis, non pietate Patri.
Desertor Fidei regit heu IVLIANVS *habenas.*
Fascibus hunc sequeris IOVINIANE *tuis.*
Inde VALENTI CANVM *post quē regnare* VALENTEM
Cernimus. Ex illis, tu GRATIANE *præis.*
Hic pete Calliope maioris gurgitis vndas,
Magna Theodosius cum modo sceptra gerat.
Dic quantos fert Marte potens in bella Triumphos
Itala vt à Gotho vendicet arua truci.
Vt subdat sua colla Deo, dum limine templi
Pellitur, irato qua data pœna duci est.
Iusserat in populum bacchari cæde rebellem.
Insuber accepit talia facta Pater.
Indoluit nimium cladi, sontemque coërcet,
Inferat Augustos ne sacra tecta pedes.
Funditur in lachrymas Princeps, supplexque rogansq;

Se

Se magni prodit criminis esse reum.
Poscit ab Ambrosio veniam; datur illa petenti,
Tunc potis est sancti limen adire laris.
Sic Rector regitur, Regni qui flectit habenas
Flectitur à sancta Præsulis ecce manu.
Quid mirum? docuit tellus Hispanica Reges
Summissa in cunctis pectora ferre Deo.
De generes vecors animos inducis HONORI,
Nec sequeris tanti grandia gesta Patris.
En cur te Romæ exuuijs Alaricus onustus
Impulit Hesperij cedere Regna soli.
Gothicus ingreditur solium dominator Iberum;
Regibus exoritur clara propago nouis.
Ergò primus init trabeati pondera Regni,
Primus & Hesperiæ Rex ATAVLPHVS *adest.*
Cæditur hic famulo. Vehitur SIGERICVS *in altum;*
Sed nece sublato VVALIA *regna capit.*
Cui THEODORETVS *successit. Tradita cingit*
Post TVRRISMVNDO *celsa corona caput.*
Heu THEODORICVS *fraterna cæde cruentus*
In populos Rector condere iura valet.
EVRIVS *it Regno Dominus iam. Iamque* ALARICVS
In se Regnantis sceptra perennat iners:
Sceptra perennat iners refugit dum Gallus habenas,

Et

Et patria ammittit Regna subacta manu.
Deine ferunt rapuisse Nothum moderamina Regni
GESALARICVM, *victe Alarice, tui.*
Tertius en THEODORICVS *de nomine fulget,*
Subsequitur Reges AMALARICVS *Auos.*
TEVDIVS *insistunt,* THEVDISELVSQVE *potentes.*
AGILA *mox sceptri perfidus intrat onus.*
ATANAGILDVS *adest pius hic spectandus in ostro,*
Qui regimen linquit, Iamque SVYVA *praeit.*
Impius ad solium LENOVIGILDVS *adibit.*
Qui gladium strinxit, Carnificesque manus:
Carnificesque manus, imbutum dogmate Natum
Romuleo vt perimat Relligione pium.
Et patrio nobis ferro HERMENGILDVS *ademptus*
Euolat ad superas, limina diua, plagas.
Illic regna tenet decoratus murice, quem dat
Vera fides, Virtus Martyris, ira patris.
Si modo RECAREDVS *habet diademata Regni,*
Nunc quoque Relligio Romola, Regna tenet.
Arrius Hesperijs cedit fugitiuus ab oris,
Vertit & ad stygios lurida terga lacus.
En alium poscit series ad sceptra LVYBAM.
Sed VICTERICVM *post manet altus honos.*
GVNDEMIRE *cupis Procerum data Regna senatu.*
Munere

Munere conspicuus quin SISIBATVS *ouat.*
Ecce nouus rutilo RECAREDVS *syrmate Princeps.*
SVINTILLA *hos sequitur*, SISENADVSQ; *potens.*
FVLCA *manu gestat Regis post funera sceptrum*
CINDASVNDE *graui pondere pone venis.*
Neu RECISVNDE *diu maneas sine nomine Magni.*
BAMBA *ferox properet, quemquoq; sceptra manet.*
EVRIGII *nomen celebretur tempore ab isto.*
EXICA *post illum.* VTISA *fœdus adest.*
Omine non læto Princeps, auibusque sinistris
Murice purpureo conspiciende vocat:
Conspiciende vocat solij RODERICE *cacumen*,
Vnde rapit miserum te furiata Venus.
Namque Cupidineo famulæ correptus amore
Corruis, á caua nec tibi damna c[illegible]
Iam properat Natæ monitis Iulianus iniquæ
Demere Acidalium proditione scelus.
Quo duce, Maurusię populantur Ibera Cohortes
Regna, premit Lybicum *Gothica sceptra iugum.*
Dum Rodericus obit misero certamine victus,
Barbara PELAGIVS *fortis in arma ruit.*
Aspera quos retinet Populos Asturia Tellus
Conuocat, & Vindex paruula Regna gerit.
Dimicat, ac vincit semel haud. Tandēq; TAVILLAM.

Pelagio

Pelagio genitus mæsta corona vocat.
Hic nemoris populator adest, quem præda petita
Parrasiæ incautum sustulit ore feræ.
ALFONSVS *recipit vidui post munera Regni,*
Bellica cui claro nomine gesta vigent.
Vaccæus renuit Lybico parere Tyranno,
Nec capit hoc Hostis Principe iussa trucis,
Protinus adsciscunt strenum sibi Regna TROILLAM
Qui Mystis æquus facta pudica iubet.
Sceptrigera decorat trabeâ se AVRELIVS, *ille*
Aurea qui non sed ferrea sæcla dedit.
Bella timens Mauors horrens inimica quotannis,
Virgine centena turpiter arma fugis.
Hispani titulum Imperij deponere pactus,
Permittit Regem te Legionis Arabs.
Tempora quæ SYLLI *memorant reuoluta propinquât.*
Sentit in Hesperio hic Gallica castra solo
Et Carolum spoliis, nec non cognomine Magnum,
Vincentem validâ mœnia bina manu.
En alium recipit solium, tantóque SECVNDVM
ALFONSVM *Casti nomine mente pium.*
Post Nothus Imperij raptor MAVREGATVS *intrat.*
VERMVNDVS *sequitur dignus honore pari.*
Rex Ouetanus dominatur in Ordine primus,

Cui

Cui Comes ALFONSVS *dicitur ire Throni.*
ALFONSVS *quondam deiectus culmine Regni*
Iniustè à Genito magne Troilla tuo.
Hunc etiam castum, bellatoremque verentur,
Gestantemque acri multa trophæa manu.
Parua cano, Iacobe tuis fœlicior ille est
Exuuijs, quas lux prodigiosa docet.
Bermudi Soboles fulget primæva RAMIRVS
Iacobus niueo cui fauet altus equo.
Purpuream Vexilla crucem victricia signant
Præcipuum Hispanis quæ peperere decus.
Hæc modò vectigal centenis turpe puellis
Ducta vel exiguâ subripuere manu.
Nempè quod auspicijs pugnauit Apostolus almis
Agmina protexit mirus Ibera fauor.
Gentis vt ille foret vindex, auspexque secundus,
Certaque in æterna posteritate salus.
Ergô animis vbicumque pijs, votisque fideles
Patronum omnimodis tollite ad astra modis.
A Patre tam claro Proles quoque clara propinquat,
Quē Mars ORDOGNVM *victor ad arma ciet.*
TERTIVS, *&* *magnus cognomine iura Seuerus*
Vendicat ALFONSVS, *sed feritate tumet.*
Dum nimium cautus fratres orbauit ocellis,

Regnet vt Imperij tutus in arce sui
Belliger hinc frænat populos GARZIA *superbos*
Legibus. ORDOGNVS *pone* SECVNDVS *adest.*
Qui malè securos Regalem accessit in Aulam
Castellæ Comites, sæuus vt ense premat.
Fata parem gestis Regno imposuêre TROILLAM
Fraterna. ALFONSVM *post veneratur Iber.*
Nomine si melior, rebus minus aptus agendis,
Qui mox exutus murice claustra subit.
A primo Imperium præclari nominis alter
Accipis Hesperij iure, RAMIRE, *soli.*
Fernandi Comitis Gonsalez gloria Magni
Tempore quo viguit non moritura breui.
Tertius ORDOGNVS *subeat fastigia Fratris*
Horreat insidiis mille pericla sui
Nec pinguis dominator abest qui SANCTIVS *vno*
Accipitris pretio multaque præstat equi.
Demitur obsequiis Regis Vaccæa tellus,
Vendenti & Comiti libera facta manet.
Tu Tartessiaci qui TERTIVS *ordine Regni,*
Nominis & tanti sceptra, RAMIRE, *tenes.*
Cerneris in fœdus Maurorum tendere dextram,
Pelagij exuuiis vt potiare sacris.
BERMVDVM *iam fata locant, vbi fertur Iberum*
Flectere

Flectere sceptrifera colla subacta manu.
Non primus tamen ALTER *adest hoc nomine Rector;*
Et quoque qui podagri nomen habere ferent.
Æqua prius tractat moderamina rectus, in iras
Post modo sacrilegas turpe sequutus iter.
Crimine fœdatur veneris, vinclisque fatigat
Præsulis Oueti membra verenda sacri.
Christiadum tunc Maura Phalanx populatur in oris;
Sic pœnas Cælo vindice culpa luit.
Ingreditur QVINTVS *rutulos* ALFONSVS *honores;*
Illius & nomen non bona fama canit.
Infido sociat nexu, thalamoque sororem;
Sponsa Toletano sæpe petita Duci.
O quam dispar adest BERMVNDVS *Rector in omni*
TERTIVS, *hic dextro Numine sceptra gerit.*
Gradiui soboles, fidei columenque paternæ
Excitat hostili diruta templa manu.
Te quoque condecorat titulo Castella superbo;
O Tartessiaci gloria magna soli.
Magne throno, FERNANDE, *venis, cui nomen Iberi*
Imperij, ac magnum fata tulêre decus.
Et quamuis fœlix; tamen hoc fœlicior extas;
Quòd viget in Regno Cidius ille tuo.
SANCTIVS *hinc* ALTER *Regni subsellia scandit,*

In fratres belli prosperitate ferox.
Illos nam retinet vinctos in carcere Reges,
Cogit & inuicto subdere colla iugo.
Non ALFONSE *diu sileam te nomine* SEXTVM,
Siste triumphanti laurea serta comæ.
Magna Toletani subdis tibi mœnia Regis,
Additur & sceptris ista corona tuis.
ALFONSVS *Regno princeps mox* SEPTIMVS *astat;*
OCTAVVS *solij sessor & inde patet.*
Vt pater est populis, sic relligionis alumnus,
Talibus hunc celebrat didita fama solo,
Expectatur habet solij moderator habenas,
TERTIVS, *&* *Magnum* SANCTIVS *intrat onus.*
Iustior haud alius. Sobolis tutela relictæ,
Et viduis largo munere certa salus,
Macte potens, fortique manu. Iam murice NONVS
ALFONSVS, *Regem subsequiturque patrem.*
Quem tenerum sceptri dominum fera damna fatigāt,
Grandior hæc valida vendicat vsque manu.
Pupulus euehitur trabeis HENRICVS *Iberis.*
Mors premit à casu quem properata graui
Nunc patriū FERNANDE *thronū tibi Regna ministrāt*
Quem sanctum indigerat Mens, animusq; pius.
TERTIVS *accedis tali de nomine Princeps,*

Si

Si Regum in numero, Maximus extat Auus;
Alfonsi genitor, qui te produxit in auras,
Sceptriferæ decorat quos Legionis apex.
Quàm strenuus, quàm semper ouans diademata gestis,
Corduba sit testis, testis Vbeta simul.
Vsque Giennensi cumulet ditione triumphos,
Hispalis, & tota Bætica victa mari.
Quæque superfuerat, poterat te ferre superbum
Telluris Dominum magna Granata suæ.
Sed Rex curuato spondet darè poplite Maurus
Promptus in obsequium certa tributa tuum.
ALFONSVS *regnat* DECIMVS, *seu certiùs illo*
VNDECIMVS *numero, quem vaga fama notat.*
Legifer excoluit populos, doctoque sequutus
Per nitidas animo sidera celsa vias.
Vt longo remeat Cœli conuexa rotatu,
Descripsit tabulas arte docente nouas.
Agminibus ductor breuiori limite Mauros
Cogit in Hesperio dicere iura solo.
Quin etiam absenti summos Germania fasces
Obtulit augusto quà vigit orbe decus.
Extera quem poscunt sceptro, Natiua relinquunt
Imperia, obsequijs fata inimica suis.
Sic alternantes vertit Rhamnusia casus,

Vitaque mixta bonis, vitaque mixta malis:
Cur, SANCTI, *patrem ſpolias crudelibus auſis,*
Sceptraque ſacrilega ſumis auita manu.
Fata ſubiuit inops Genitor, quùm diues Iberos
Ad tua deceptos iuſſa Tyranne trahis.
Si malè cœpiſti, felix probat exitus acta,
Armorumque vigor, Iuſtitiæque decus.
Nomine FERNANDI *Regnis pòſt* QVARTVS *adhæret,*
Percita quem ſubitâ concutit ira face.
Vnde furens montis deturbat vertice, culpa
Quos Caravaiades non facit vlla reos.
Prouocat ad ſuperos inſontum lingua cadentum,
Tempore ſignato Rex perit ante diem.
VLTIMVS ALFONSVS *dum nomine cerneris, atque*
Inter honoratos murice ſceptra tenens.
Ecce tibi Lybicæ nexerunt ſerta cateruæ.
Miles Io, læta voce, triumphe canit.
Africa iam totis concurrere viribus audet,
Vecta per Herculeum, claſſe minante, fretum.
Vt ſuperbas animo, per non ſic robore gentis.
Quid ſtatuis? Reges in tua caſtra vocas.
Et licet auxiliјs ſuccreſcant agmina binis;
Maurorum innumeris inferiora tamen
Non ideò dubitas; dextro ſed numine fiſus

Fluminis

Fluminis ad ſalſi prælia ducis aquas.
Quæque dies ſpolijs cecinit te læta decorum,
Hæc eadem lybica clade notanda venit.
Poſt ſummus quis rector init moderamina? PETRVS,
An Petri Pietas nomine Regna dedit!
Crudelis nimia dominatur cæde, rubeſcit
Purpura regalis ſanguine tincta diu.
Heſperias alter trabeas Henricus adibit,
Qui Procerum ſtudio repſit ad alta throni.
Accipient Dominum poſt hunc te Regna Ioannes,
Virginis obſequio, Rex celebrande, pio.
Præcipis vt ſurgant Genitricis limina Diuæ,
Quæ Guadalupium tecta ſacrata colit.
TERTIVS *aſſequitur Princeps* HENRICVS *auitos*
Imperij faſces, purpureumque decus.
Heu dolet, heu luctus ſemper Regalia carpit
Corda, quod ægroti nomen habere dedit.
ALTER *adeſt trabeas inter ſpectande* IOANNES
Dum tener. Ad Regni pondera paruus Atlas.
Non firma excelſi memoratur gratia Regis,
Et patet exemplis labilis vſque tuis.
Aluarus an Princeps Aulæ, Regiſque ſecundus
Floruit in ſolida proſperitate potens?
Decidit infælix, iugulum tribuitque ſecuri.

O quam in præcipiti gloria summa manet?
HENRICVM *serie* QVARTVM *cognoscimus illud*
Hesperiæ magnum flectere gentis onus.
Hunc tandem Libitina rapit non prole Parentem,
Ex quo publicolis causa petita malis.
Bella ferat Regni quamuis variata voluntas;
Tu FERNANDE *tamen pondera* QVINTE *subis.*
Regis Aragoniæ Soboles Fernande, pius qui
Catholici toto nomen in Orbe geris.
In te stat triplicis sociata potentia Regni;
Terra fit Hispani Parthenopea iugi.
Auspicijs sinuata tuis, ventisque secundis
Puppis in occiduas Carbasa tendit aquas.
Tunc primum noua rura patent. Pars additur orbi
Pars Orbis Regni Pars noua facta tui.
It depressus Arabs etiam, Granata triumphum
Auget, & vt Regi terra subacta Deo est.
Incola num Maurus? degit Iudæus in oris
An Tartessiacis? protinus exul abit.
Exul abit, renuit quisquis parêre Tonanti,
Ducere sub Christi relligione dies.
Principe quo surgunt etiam subsellia Patrum,
Itur in Hæretici criminis vnde luem.
Tu Fernande fidem præstas sine fæce coruscam,

Quæ

Quæ ſine fæce tibi Regna coruſca parat.
Tange chelyn meliore manu iam Muſa, propinquat
Auſtriadum magno ſtirps generoſa throno.
Fœmina connubiô Comiti ſociata PHILIPPO
Transtulit in tantam ſceptra paterna, domum.
Pulchrior haud Cœli medium conſcendit Apollo,
Splendida cum rutilis lumina portat equis.
Non ſic vnda nitens oculis tunc reddidit ora,
Cum Narciſſe peris captus amore tui.
Vnicus vt ſpecie dotalis celſa coronæ
Primus ab Auſtriacis ordine Regna *tenet*
Extima quæ decorat tamen hæc quæ forma Philippũ,
Condita quæ pulchro pectore dona docet.
Eſt cultor ſophiæ, celſas it mente per arces,
Quæ remeent certo noſcit & aſtra gradu.
Præcanit interea Vates ſua fata, Cometes
Dum notat ætheræ concaua tecta plagæ.
Rex, Cæſarq; ſimul CAROLVS *poſt ordine* QVINTVS
Surgit in imperij Rector vtrumque decus.
Heſperiæ Princeps, Princeps Germanus in orbe
Iura togâ geſtat, geſtat & arma ſago.
Cernitur Auguſtis impar Europa tropheis,
Addit & exuuias Africa victa ſuas.
Inde Tunetanam validus Bellator in arcem,

L 5 *Prouehit*

Prouehit inuictâ Martia signa manu.
Non tulit Odrisius concurrere Marte Tyrannus.
Hunc videt ac religit mox fugitiuus iter.
Causatur placidæ timidus munimina sortis,
Qui tunc virtutis bellica facta timet.
Hæresis ô quantum pallescit squallida vultu,
Tota sub Auspicijs extenuata pijs.
Quocumque accelerat sequitur victoria palmis.
Quò Palmæ, æternis huc quoque Fama modis.
Adde quod Hispanas penitus si Iulius oras
Subdiderat Cæsar, Cæsare maior erit,
Qui tulit innumeros superato ex hoste triumphos,
Victor & Hispanum vexit in Astra decus.
Sed tamen ambigitur, victor quòd rexerit orbem,
An orbis, maior, quòd modò linquat onus?
Nomine non patris, patris sed mente PHILIPPVS
Hespera sublimi Regna SECVNDVS *habet.*
Quà virtute potens, famulæ quà munere sortis
Mira dat Aoniæ gesta canenda lyræ,
Suspiciet series Regum ventura Nepotum,
Æmula consilijs hunc quoque signet Auum.
Norma viget triplici munitum robore pectus
Illius, & nulla mens tremefacta vice.
Quid? Quod Lusiadum tandem ditione potius

Vnicus

Vnicus Hesperijs regia iura dedit.
Quod meritis sit Musa tuis minor. Ecce Philippe
Cur sileat? Virtus prædicat, ipsa tacet.
Emicat igniuomo purus quàm Cynthius ore,
Quàmque dies niueis est variandа notis.
TERTIVS *assequitur Princeps dũ sceptra* PHILIPPVS,
A magno & regni pondera magna patre.
Temperat vt populos, animi vt sua fræna gubernat.
Itque comes trabeæ candida vita rubræ.
Vndique Maiestas occurrit sancta, sub ipso
Sancta Themis, Pietas Maxima, Regna colunt.
Augustâ quantum largitur dona petenti;
Angusta tantum dat sibi parua manu.
Illius exoritur læto cum tempore Regnum,
Pax etiam nostro præfuit orta solo.
Dum moritur; pacis moritur tranquilla voluptas:
Classica pulsantur: Mars strepit: Arma volant.
Iam QVARTVM *mihi pande Chelys magnumq;* PHI-
Sistitur ad cuius mẽs stupefacta decus. [LIPPVM.
Grandibus an numeris magni cognomen adæquem?
Pauca vel in tanto nomine Musa silet.
Robora quis Mentis celebrabit Pectine: magnum
Surgit opus quantum dicere corde valet!
Tempore fœlici vanos non fertur in ausus:

Noscit

Noſcit in aduerſis victor abire ſui.
Subditus ingeminet vincenti damna Rebellis,
Auocet à recto proſpera facta gradu.
Si Tarteſſiaci minuuntur Regna Philippi;
Non Tarteſſiaca eſt gloria prima minor.
Copia ſit Regi geminare immenſa triumphos
Et Dominos Orbis vincere poſſe datur.
Ecce ſui Victrix Hiſpaini! Barcino tandem
Accipit antiqui iura benigna iugi
Ah genus, ah timeat Luſi! ludetur ab armis
Et feret Auſtriaco mæſta trophæa ſuo.
Qualia pace ferox minitatur prælia Mauors
Qualia ſic icto fœdere reddet Honos!

AD

AD FRANCISCVM FILIVM

Qui, nuper extincto Fratre Petro, Marchionatum Nauarum; Villæfrancæ veterem Dynastriam; Conteſtaniæ, & Riſcij Comitatus in ſucceſſionem adeptus eſt.

EPISTOLA.

Accipe quod monitis tibi Epiſtola ſuadet amicis;
Accipe Pars animi maxima, nate, mei
Supplice adorandum cultu venerare Tonantem,
Ad quem feruentes fundere perge preces;
Vt tua concutiat diuino corda timore,
Atque illum grato ſemper amore colas.
Certaque demiſſam vallet fiducia mentem,
Speſque ſit in mediis, præſidiumque malis.
Si tua ſeruarit curſum fortuna ſecundum,
Ne dubita immenſi munus id eſſe Dei.
Triſtia ſi reddat ſupremus tempora natus
Quod iubet vt ſubeas fer patienter onus:
Neue ſinat lædi minimo vel crimine vitam;
Sed Pudor, & probitas omnia facta regat.

Non

Non leuet ambitio vesano turgida fastu
Aspera præcipites non agat ira gradus.
Nec sitis vrat opum, neque gloria iactet inanis;
Nec Bacchi, aut veneris gaudia falsa petas.
Christiparæ obsequiis hære, tutissimus ibis
Per bona non vllis inficienda malis.
Prolato Mariæ citius, quam Nomine IESV
Sæpe Deus miseris ferre videtur opem.
Ne tamen Anselmus temerè dixisse putetur
Iudicis illa vices, illa Rogantis habet.
Sacrâta in primis passi ad mysteria Christi,
Romulidûm ritu quæ peraguntur ades.
Prauaque confessus sontis dispendia vitæ
Synaxim purô suscipe corde frequens
Te velut extremum sistas reus ante tribunal,
Et perculsa graui conterat ossa dolor.
Anxietas animum stimulis non punget acutis
Nec feret ambiguos relligiosa metus.
Crede mihi admissæ torquent præcordia culpæ,
Et quocumque animam sæuiùs hoste premunt.
Qua nusquam Princeps poterit formidine iniquus
Absolui, ac minitans plus tamen ipse pauet.
Quo minus extimeat nihil arma satellitis obstant.
Acrior ante oculos pœnaque, morsque subit.

Fœlix

Fœlix cui virtus tutum parat Enthea pectus,
Innocuumque omni labe carere facit.
Non recti placidis Echenæis in æquore ventis
Illius afflatam detinet vlla ratem.
Sed Numen, dignaque colit pietate Parentes,
Ac reliquos, ceu se charus amare studet.
Ast ratio varij quoniam te muneris vrget
Plurima sunt animo præcipienda tuo.
Nam modò primæuum raperet cum lucida fratrem
Parca, vices eius, officiumque tenes.
Quàmprius in superos fuerit, quam largus egenis,
Quàm cunctis omni tempore gratus erat.
Respice, & attentus castos imitabere mores,
Ac simili Fratres ductus amore coles.
Maternæ interea duplices ditionis habenas
Arripe, & in cunctis more Parentis age.
Pupillum, & viduam, reliquosque tuêre iacentes,
Quod toties Dominos pagina sacra monet.
Obserua studio leges, ac iura seuero
Prouidus, & Rectus, propositique tenax.
Nauarum, & Villæ rectes sic pectora Francæ,
Et Contestani compede vincta solo,
Sin aliter duris contundas oppida nixus
Subdita consiliis despiciendus eris.

Hac Stephani populos almi ratione paternos;
Hac quoque solertam sedulus arte regas.
Cum mea soluetur fato properante senectus,
Quod precor, vt cedant omnia nostra tibi.
Tradita ab antiquis tibi sint Patrimonia curæ,
Et, quæcumque queas ante parare, para,
Attamen in sordes, fænusque abiectus auarum
Augeri nimias ne patiaris opes.
Contentus modicis insons potiora tenebis
Commoda, non dubia prosperitate fruens,
Adde, quod & nomen fuluo pretiosius auro
Fama dat, & meritos tollit in astra viros.
Quà decet, & fas est inopem solabere donis,
Ac facili confer præmia digna manu.
Consule cognatis; vt amêris amabilis inter
Colloquio & factis inueniare pares.
Te iussis Regis decet apparere fidelem,
Has tuus ad metas præpes anhelet equus.
Neue Ministrorum facta, aut consulta Potentum
Te coram liuor qualiacumque notet.
Ne tamen excelsas properes blanditor ad aures
Sed tua veridico verba tenore fluant.
In medio virtus consistere gaudet, & actus
Ordine disponi conueniente probat.

Cum

Cum vigor, & robur maturos afferat annos,
Pinxerit & teneras prima iuuenta genas.
Tunc age connubij commercia quære decentis;
Accedatque tuum casta puella thorum.
Nec tantùm formæ licet indulgere venustæ;
Sed potiùs celsum sollicitare genus.
Virtus dote prior, mentisque modestia præstet,
Et coniux votis apta placere tuis.
Diligat & meritum stabili coniungat amore;
Sic erit electo digna corona viro.
Concedant Superi, faciat quæ prole parentem
Multiplici, & curet sedulitate domum.
Pompa nec insano famuletur splendida luxu,
Instruat aut nimias mensa superba dapes.
Non habitu excedas, neque te vulgaribus æques;
Proque tui vigeas conditione gradus.
Nec risu illudas, vitijs neque censor oberres:
Vita tua obiurget, non tua lingua nefas.
Comis apud populum & placidus videare frequẽtem,
Illius votis luminis instar ades.
Sis recti custos, sis propugnator honesti,
Sis Fidei columen, Iustitiæque decus.
Si tamen accedat grauitas, culpabere forsan,
Infensumque vltrò nomen vbique geres

Frons tua conueniat Plebi, contraria sensu
Attamen interno promere signa potes.
Seria nec tantùm meditêris, mollia tentes
Acta, libens hortor dummodo iusta legas.
Otia sola vetem vitijs obnoxia: passim
Historici fastis exhibuêre suis.
Aucupium vacuis, venatioque occupet horis
Iactantem validas, per tua lustra feras,
Vel Pila delectet; vel te Trochus instruat, atque
Schacorum ludus prælia ficta mouens.
Sed folia infestus pictis lusoria signis
Sperne nimis domui perniciosa tuæ.
Nec pigeat varias animum exercere per artes,
Corpus & ingenium muniat vsque labor.
Intima in augustos seu te vocet aula penates,
Sæpe olim Proauis, qui patuere tuis.
Nec Pater abstinuit, quanquam Benauidia raró
Nomina Regificos incoluêre lares.
Innumeros bellum rexit domus ista per annos,
Vnde Giennensis stat geminatus honos.
Quæcumque ambieris, crebros tolerare labores
Expedit, & multum nocte, dieque pati.
Mobilis alternat varios Rhamnusia casus,
Spemque, metumque inter ludicra vita fugit.

Prodit

Prodit & inuidiæ trucibus violentia telis,
Appetit insidias, fertque refertque nouas.
Horrida concurrunt factis exempla nefandis,
Vndique per cunctos continuata dies.
Euolue annales Patriæ, monimentaque retrò
Extera, sint oculis obijcienda tuis.
Quæ fugienda tibi, quæ sint seruanda requires,
Vt recto carpas tramite doctus iter.
Inque vicem speculi te contemplaberis illic,
Exemplarque tuis vtile rebus erunt.
Nec Senecæ libros, nec scripta Platonis omitte,
Nec graue Plutarchi, nec Ciceronis opus.
Magnus Aristoteles etiam præcepta ministret.
Quæq; Maro, ac sapiens carmina Homerus habet.
In mores, & in arma præit, duplicisque Mineruæ
Non defecturas ejaculatur opes.
His ducibus veras naturæ agnoscere causas,
Et rerum euentus posse cauere datur.
Nec minus Euclidis celebres scrutare libellos,
Atque Syracusij sphærica scripta senis.
Vt Maria, & terras, variosque rotantis Olympi
Metiri cursus, astraque fixa queas.
Agminaque ad numerum disponere idonea certum,
Mœniaque in varijs condere firma locis.

Ausonij, Gallique aptus tibi suppetat vsus
Sermonis, semper commoda magna tulit.
Scatet vt historijs gens vtraque grandibus, atque
Mutua in externas itque reditque plagas.
Nunc est vtilior, nostro dum creditur æuo
Nominibus Martem constituisse suis.
Vidisti nuper Vidasi ad fluminis amnem,
Sanxit vbi pacem Gallus, Iberque nouam.
Quàm fuit in pretio peregrinæ copia linguæ;
Quàm nescire alijs causa pudoris erat.
Profuit interdum cytharam pulsare canoram,
Atque agere alternos dexteritate choros.
Sic olim Æacides fertur Chirone magistro
Paulatim mentem deposuisse feram.
Præsertim Armorum generosa peritia firmet,
Et Palma, & Gladius verset vtramq; manum.
Seu pernicis equi validos calcaribus armos
Impelle, atque habili comprime fræna manu.
Talia proficient oblectamenta iuuentæ;
Donec erunt annis plura ferenda tuis.
Seu tibi contingant placidæ moderamina pacis;
Munia Bellonæ siue gerenda manent.
Quin etiam assiduus Diuina Volumina lustra;
Numine securam præcipiente viam.

Quæ benè fatidico Dauidus concinit æstro.
Quæ Salomon docto Filius ore monet.
Quæ IESVS *longo Sidrachus dogmate monstrat,*
Et miris Vatum sancta caterua modis.
Quotquot Apostolicis extant documenta tabellis,
Aut Petri, aut Pauli cognita facta manu.
Nec tibi Iacobi, ac Iudæ, triplicesque Ioannis
Contingat sacras præteriisse notas.
Inde sophos, largos quod prodigit ætheris imbres,
Quod face conspicuum fulminat, inde sophos
Spero equidem donoque Dei, geniique benigna
Sorte tui, summos inter habendus eris.

DESCRIPTIO LIGNEÆ DOMVS, in qua apud Fontarabiam, Anno 1659. Conuentus Pacis inter Hispanos, & Gallos celebratur.

Carmine de nostro veniat data fama futuris
Temporibus parui celebret quæ limina Tecti,
Argantoniades vbi fœdere bella reponant:
Regia connubio nectunt vbi corda THERESÆ,
Austriaci nimium Soboles quæ pulchra PHILIPPI.
Hispani quà terra soli se monte Pyrenes
Munit in Hostiles ausus, Neptunia prata
Lubricus excelsi medius per culmina Montis
It Vidaso celebri memorandum gurgite flumen.
At iam fluctiuagi properans ad littora Regni
Scinditur, & bifidis sinuatur cornibus amnis.
Interea gremio patefacto surgit ab vndis
Insula, non magno terræ laxata rotatu;
Angustis sed cincta plagis. Vt læta propinquat
Illa dies, referet quæ iam commercia pacis.
Hic tabulis compacta Domus, serieque tigilli
Cernitur extemplo: fabriles limina dextræ

Maturant

Maturant; par ſurgit opus. Nam Gallus, Iberque
Munera perficiunt æquæ ſub imagine formæ.
Dic ſpecies, dic Muſa, laris. Conclauia binos
Protendunt curſus: intras quà Galle ſenatus,
Heſpera quà duplici tectis gens inclyta mundo
Te recipis. Terno remanet pars quæque receſſu
Sciſſa Domus, geminis fundunt ſe brachia portis
Tramite ab anguſto, quà grandior aula pateſcit.
Oſtia ſed primi ingreſſus hinc inde coronat
Aſſere prælongo ſeptum, ſpeciemque recincti
Fert clauſtri vallo; cui ianua peruia cunctis
Partibus ambabus duplex: hinc ducit Iberos,
Inde gradus Francos. Clauſtri poſtrema Tabernæ
Præſcribunt binæ, quæ non venalia præbent
Hoſpitibus Bromij latices, & dulcia lymphæ
Pocula nectareæ, quò gaudia Pacis honorent.
At penetrale domus cingit pretioſa ſupellex
Regalis ſpecie cultus, Quæ Gallica ſedes.
Suſcipit ornatum pannis, quos ſedula formis
Pinxit acus varijs veras imitata figuras.
Hiſpanas parte ex alia qui ſericus ædes
Texit honos, auroque grauis, ſpectandus & vna
Stat facie? toto rutilat nil diſpar in illo.
Principis hic Hari referebat Symbola gentis,

Guzmanæque domus veterum decora alta Parētum,
Prima manent similem parilis sic limina tecti
Fulgida per pompam narrant quam Verba Camœnæ.
Sed loca non cunctis gradibus calcata, referuat
Guzmanus Genitor tibi quæ, Lodoïce, coruscis
Ac Iuli trabeis. Vbi Pacis magnā futuræ
Pondera versatis, tenuato carbasa filo
Serica vallabant. Quid? quod conuexa penatum
Haud secus abduntur Tyrij velaminis ostro.
Circumeunt Vidasonis Aquæ, nec adire recusant
Ad loca conspicui Tecti: nam Gurgitis vndas
Pons subdit, quem struxit Iber, quem Gallica Pubes
Strauit ab aduerso modicæ longo ordine cymbæ.
Sic Tecti celebret vocalis Musa per Orbis
Sæcula venturi faciem. Concordia Cœlo
In quod lapsa manus Bellantum fœdere vincit,
Et Tartessiaci Natam Regnantis adire
Dat Galli thalamum Regis. Sic læta perennent
Tempora: sancitæ properent sic commoda Pacis.

ELEGIA

ELEGIACVS DOLOR,

INCERTI AVTHORIS.

De Morte D.D. PETRI BENAVIDII Nauarum Marchionis apud Fontarabiam in Conuentu de Pace,

An. 1659.

DVm Comes is Comitis Patris, quà Mõte Pyrenes
Argantoniadum terra remota tumet.
Insula quà bifido Vidasonis surgit in amne,
Nectitur & certa Gallus Iberque fide.
Accedit Libitina ferox, febrique peractum,
Te iubet extremam claudere morte diem.
Tunc moreris quarti medius per tempora lustri:
Heu properant celeri quàm tua fata pede!
Cuique per ætatem Mars parceret, inuida letho
Pax rapit, & falso nomine dura premit.
Fœderis hinc nectunt Reges sua pectora vinclis:
Corporis hinc morbo vincla soluta fero.
Desiit horrificâ cum Mars dare vulnera dextra,
Vulnera tunc subitâ Mors dedit atra lue.
An tener ad Superos volitat? non paruus ab annis.
Qui gerit inuictus fortia facta puer.

Robustus

Robustus virtute potens Domitórque retundit
Exleges animi non sine lege modos.
Hinc Petri nomen Petræ concessit in omen,
Quà stetit inflexo mens benè firma gradu.
I modò fœlices Cæli transcriptus in Arces,
Et cape stelliferæ præmia læta plagæ.
At dolor intereà lacrymarum pressus in imbres
Decidit in cineres, funereumque rogum.
Ipse gemo, luctusque animum peruadit acerbum,
Spiritus ac tunso pectore rauca sonat.
Solum oculis data vèna meis? te gentis auitæ
Luget Nobilitas, Gloria, Gaza, Decus.
Æternùm Genitor querulus suspirat ademptum;
Æternùm Fratrum turba tenella gemit.
At Consanguineus pulsat quoque sidera fletus,
Et geminat questus irrequietus Amor:
Irrequietus Amor, quorum tibi iuncta voluntas,
Et quibus in viduo pectore vera fides.
Edidit in primis Princeps LVDOVICVS *amantis*
Signa tui mœsto funera corde ferens.
Magna Benauidiæ stirpis, pars magna Corellæ
Occidis, & Dauilæ pars quoque magna Domus.
Vt Fratrum primus properasti ad limina vitæ;
Non secus è vitæ limine primus abis,

Marchio

Marchio Nauensis, ceu Nauis mensa procellas
Perbreuis ætatis littora celsa tenes.
Sic tenerum immiti demessum pollice florem,
Credibile est ipsas indoluisse feras.
Nympharúmque cohors sacri Vidasonis alumnæ,
Quæque madent lachrymis, gurgite quæque tuo,
Ipse Pater viridi redimitus tempora fago,
Turbidus immodicas in mare voluit aquas.
Funereúmque rogum fugiens contingere littus
Nollet arenosum, Fontarabia, tuum.
Sed quid ego queror ereptum, luctúmque paternum
Imprudens causis pergo ciere nouis.
Sat docta est versare suum Natura dolorem,
Inque suis nimis est irrequieta malis.
Sera licèt, terras tandem respexit Iberas
Aurea de ætherijs pax rediuiua plagis.
Gallicaque Hesperijs innectit Lilia sertis,
Indidit & Marti vincula casta Venus.
Sed si militia est Hominum sors: sola putanda est
Pax, Patriam emeritos quæ dat abire Domum.
Post gladios positos, post tela recondita restant,
Corporis atque animi prælia dura magis.
Pax tibi plena venit duri certaminis expers:
Pace tibi indultum est vberiore frui,

Hæc

Hæc pleno complexa ſinu, gremióque receptum
Tranſtulit ad ſuperos officioſa choros,
Dum viget innocuo ſeruatus pectore candor,
Atque illibati gratia floris erat.
Ergo vale, & placida compoſtus pace quieſce:
Pax tua te cunctis caſibus eripuit.

INCERTI AVTHORIS.

D. PETRVS BENAVIDIVS, de la Cueua Marchio Nauenſis.

Anagramma purum.

An. M. DCLVIV. de
Hiruneo Beatus
Ciuis
Ad ſuperna eas.

aaaaa. b. cc. ddd. eeeee. h. iiii. l.
m. nnn. o. p. rr. ssss. t. uuuuuu.

AD

AD ANAGRAMMA.

CARMEN.

Ducta per exiguum vita modò pollice fata
Parcarum tibi Petre canam, quo funere nomen
Eductum meritis geminabit Fama per orbem
Tu Superis admixte choris præstabis vt illud
Regnet inexhausto lachrymis iam pectore donec
Vertice pullato veniet Nox, aureus & Sol
Sidera flammiuomo discludet candida vultu
Bellatrix, dum Bella recedunt, bella vigenti
Eximiis Iuueni titulis Mors intulit, ehev
Nam Fœdus Funus sequitur Cælo data cumq; ad
Afflictas gentes læta sunt gaudia PACE
Vana patēt sine pace Soli tunc gaudia quantū ah
In PACE *ingreditur Petrus quoque gaudia Cæli*
Discite, Mortales, ætatis temnere robur
Inclyta nec gazæ nimiæ consistat in vsu
Vestra boni, rectique tenax Mens; sed pia Numen
Suspiret pertæsa nefas; pertæsaque triste
Delicium terræ, fugiunt quæque omnia fato
Extollit Ditio Petrum num maxima, quo sub
Laude Nauę celebres, & Contestania laude
Altisona fulgens captabant Principe iura

Clara Benauidiæ Gentis quæ symbola perstanT
Vndique quæ Dauilæ celebrentur stemmata plausV
Et Corella Domus referent clarissima gestiS
Vt vitæ phaleras, vitæ tutamina? non haC
Accedunt Tenero firmè. Nam surripit ollI
Mortifera Libitina manu! Num dulcia cantV
Aoniisque modis tractat quæ munera PindI
Rector amans Cytharæ potuerunt vulnera MortiS
Carminibus remouere suis? fugit ocyor aurA
Halitus extremo tenuatus lumine! quid? quoD
Ingenij vis nulla valet; Prudentia factiS
Ornamenta ferens rapido futigiua volatV
Nil iuuat. Extincto membrorum forma nihil suP
Alma peti; Vita exutum sed digna micantE
Vultu Cœlestis Patris proba facta sequuntuR
Excelsum meritis tibi nunc memorande cacumeN
Numen habere dedit: face tu cumulate supernA
Siste oculos terris, & te paramantia PETRE
Inspice tam celeri mæstissima funere cordA
Solare, atque illa æternus super æthera ciuiS

Marchio, Duxque-Comes LVDOVICVS, IVLIVS, in quem
Vrbs gerit Ostriferæ Præmia Sacra togæ.

Anagramma Purum.

Per vos Rex MARIÆ Gallus sociatur Iberæ,
Occidit an? quum sic fœdere surgit humus.

Quô
I. M.
O.

aaaa. b. cccc.dd. eeeee. f. gg. h. iiiiiii. ll. mmmm. n. ooooo. p. qq. rrrrrrr. ſſſſſſ. ttt. vvvvvvvvv. x. xxx

D.

D.

FRANCISCVS, & IOANNES RAMOS, PATER, & FILIVS Consiliarij,

ANAGRAMMA PVRVM.

Floretis nisi annis pari Fama:
Edite vos clariores cunctis.

aaaaa. nnnn.
ccc. ooo.
d. p.
eeee. rrrr.
ff. ſſſſſſ.
iiiiiiij. ttt.
ll. vu.
m.

AD

AD POËMA DE VERCELLARVM VRBIS Expugnatione;

NOTÆ.

1 *Continuant.* Imitatio Claudiani.

Continuant superi pleno Romana fauore
Gaudia, successusque nouis successibus augent.

Et non abs re; nam post recuperationem Bremensis Arcis, sub eodem Leganesio Imperatore Vercellæ passæ sunt expugnationem. Inde *continuant*, &c.

2 *Guzmanius Heros.* Didacus Philippus de Guzman Marchio Leganesius, qui in Mediolanensi Ducatu supremus moderator togæ, sagique ad clauum sedebat.

3 *Gaspar Guzmanius.* Tunc temporis Primus Minister apud Philippum IV. Hispaniarum Regem: iure merito ditatus à Bæti oliuifero; quippe, qui Comes erat Oliuianus in Bætica apprimè consita oliuis.

4 *Cognatique decus*. Nam Regulus Leganeſius conſobrinus accedebat Oliuario Comiti.

5 *Tacitæ*. Virgilij inſiſtit veſtigijs lib. 8. Æneid.

6 *Carolus Coloma*. Præcipua nobilitate, ac virtute Hiſpanus Valentinus, frater Comitis Eldæ, quem Vindicem Valentia ad Padum agnouit dum à Gallis obſideretur. Conſule Hiſtoricos.

7 *Pacem*. Nam fœdere icto Duce cum Parmenſi iam penè debellato, Arx Sabioneta, tradita eſt antiquo Domino Principi Stiliano hac lege vt miles Hiſpanus eſſet in ea præſidiarius.

8 *Telinis*. Quippe Dux Roanius expulſus eſt à Rhætis, ex Valitelina, vnde imminebat cum validis copijs Hoſtis Mediolanenſi Ducatui.

9 *Frænans*. Quia iam expeditionem in arcem Caſalum parabat, quæ tunc temporis propugnabatur à Gallis.

10 *Paruo*. Pugna in mentem reuocatur, à loco vbi forte fortuna accidit de *Tornauento* indigitata, ſecundo marte, & copijs longe imparibus ab Hiſpanis commiſſa.

11 *Vrbs*

11 *Vrbs Veneris.* Proditum poëtarum fabellis Vercellas à Venere condita, ac Veneris cella dictitata, postea Vercellæ.

12 *Duplici.* Nam Miles Hispanus in obsidione vercellensi duplici bellandi cura distinebatur; Qua vrbis Obsessor, qua hostibus adhærentibus vallo ad inferendas vrbi suppetias obex.

13 *Martinus Aragonius* Filius Ducis Villæ Hermosæ rei tormentariæ præfectus.

14 *Ioannes Basquius.* Nobilitate præpollens apud Salmantinos, qui Præfectus Arcis Mediolanensis è viuis excessit.

15 *Sotelus.* Antonius Sotelus Vaccæus ex quodam oppido prope Zamoram, qui dicitur, obijt Alexandriæ apud Insubres, totiusque Transpadanæ regionis Præses.

16 *Garaius.* Ioannes Garaius Cantaber. Cui demandata fuit prouincia Proregis Catalaunij, vbi fato concessit.

17 *Rincurti.* Burgundus, qui glande in oculo traiectus occidit.

18 *Battiuilius.* Carolus Battiuilius Burgundus, & in acie, & acie ingenij clarus, modo in

Ipusqua ſupremus Militiæ Dux.

19 *Viro proauis.* Ex ſuperiori nota huc defluat explanatio.

20 *Oppida Carilli.* Huc aduoca Marchionem Carazenam, Comitem Pinti ex ampliſſimis familijs de Carrillo, & de Toleto per maternum Auum: & ex Benauidia ſtirpe per Patrem Marchionem de Fromeſta, quæ Marchionalis Dynaſtia ab an. Reparatoris incunabulis ſacro 1413. diuiſa ab illa San.Stephani. Vir & varijs Prouincijs, & varijs domi, militiæque egregijs facinoribus, & varijs laudibus Clarus. Nam poſt alias minores prouincias prefuit moderator primus ſtatui Mediolanenſi. Inde in Belgium traductus Rem in illis Prouincijs Regiam ſine laudis, & lauræ modo curat.

21 *Emeritus.* Quia functus erat Prouincia tribunitia.

22 *Serra.* Marchio Serra Ligur paſſim cognitus apud Hiſtoricos ob facinora cedro donanda in bello cùm Mediolanenſi, tùm Catalaunico.

23 *Caroli.* Carolus de la Gatta. Non obſcuro nomine,

nomine, vt nec etiam fuit natalibus multis memorandus facinoribus, & ſignantes Orbitelli propugnatione à Principe Thoma Sabaudico, Gallici exercitus Imperatore. Qui fato dies clauſit Neapoli ſenex, & Caſtrorum Præfectus.

24 *Brancatius*. Tiberius Brancatius, qui Magiſter Equitum poſt varia belli munera, Equitum Magiſter in Catalaunia obiit.

24 *Borromæo*. Cæſar Borromæus, Magna dignitate Dynaſta iuxta lacum laricum ſeu Comenſem, qui ſub initium Vercellenſis obſidionis à ferreo tormentis curulis globo abſciſſo capite è viuis abſceſſit.

24 *Ioannes Borromæus*. Qui ſublato Patre tribunitiam poteſtatem adiuit, in qua Pater obtruncatus deſiderabatur.

25 *Fulmine*. Quæ ſuprà te doceant.

26 *Bolognini*. Ex Familia Boligninorum Inſubrium miles Hyeroſolimitanus.

27 *Torneliumque*. Qui Comes, ac Tribunus militiæ ex Mediolanenſi ditione collecta.

28 *Ægidium*. Ægidius As Brabantinus, qui varijs bellicis muneribus ſtipendia fecerat.

Tunc temporis Legionis Germanicæ.

28 *Lenesus.* Germanus.

30 *Borsus.* Auunculus Ducis Mutinensis, qui ea tempestate regnabat.

31 *Reginaldus Estensis*, quem tandem Purpuratum Roma venerata est.

32 *Vincentius Gonzaga.* Frater Ducis Guestalle, Vir quà nobilitatis, quà prudentiæ quà rei militaris peritiæ phaleris notissimus.

33 *Aluarus Quiñones.* Ex Optimatibus Legionensibus, occubuit Vrbis Cremonæ moderator:

34 *Petrus Moxica.* Salmanticensis, Commissarius Generalis æquitatus Neapolitani in exercitu Mediolanensi. *Neredia*, qui & etiam Commissarius Generalis erat Mediolanensis equitatus.

35 Sic per antonomasiam Alphonso Vasquez de Miranda, dum Alter Lelius (qui in omnibus expeditionibus comitatus fuerat Scipionem) præcipuus Consiliarius comes omnibus in locis Duci Feriæ accessit.

36 *Aragonium.* Pete notam sub num. 13.

37 *Imbre.* Alludit ad pluuiam quæ impedimento erat coronæ obsidionali perficiendæ.

38 *Finxe*

38 *Finxerat.* In hoc animus præferox Imperatoris Leganeſij, ac periculis vltrò obnoxius, minimèque infractus ante oculos ponitur. Nam vt deſcribitur ad conſulendum rectè obſidioni, partem nimi ſobſeſſæ Vrbi propinquam, ac muralium tormentorum ictibus appetitam periculorum ſpretor obtinebat.

39 *Vidua Principis.* Loquitur de Matre, ac tutrice Ducis Sabaudiæ.

40 *Caſſandra.* Inuentio à Caſſandræ oraculis, de quibus Virgilius & Homerus.

41 *Peius.* Alludit ad primam expugnationem Vercellenſem ſub Petrò Toletano.

42 *Coniuncta.* Inculcat quod ſuperiùs.

43 *Neu fratrum.* Suadet neutralitatem inter Regem Hiſpanum & Gallum.

44 *Cometa* ex iſtis carminibus collige irriſionem de Entheo Ancillæ furore, quippe credit Domina, ſi Numen voluiſſet vt per portenta ſibi calamitates venturæ, notuiſſent vſus eſſet cometa, ac non lymphata famula.

45 *Fraterna.* Regis Galli, qui, vt diximus, frater erat.

46 *Credibile eſt.* Nam, deficientibus tormentis ad

arietandam, elapſa eſt occaſio compendiariè potiundi Vercellis, dum vſque ad portas peruentum erat in illa oppugnatione, de qua hîc agitur.

47 *Creſcentinum.* Vrbs ad Padum in Pedemontana Regione.

48 *Dolianus*, qui & Marchio, ex ditione Sabaudica Præfectus Vrbis Vercellarum, & Gener Marchionis Villæ.

49 *Culte Pater.* Cardinalis de la Valetta Gallus Filius ducis Epernonis.

50 *Pernonide.* Frater Cardinalis, qui & Dux Candaliæ.

51 *Pertulimus.* I. in bellis ſuperioribus.

52 *Soror.* Nam Soror Regis Sabaudiæ nupſerat Regi Anglo.

53 *Pacem.* Tunc temporis nullus bellus inter Hiſpanos, & Anglos.

54 *Lati.* Ex Superioribus pete.

55 *Mater.* Maria Medicea quæ ex Gallia Belgas petiuit.

56 *Antiſtes.* Cardinalis de la Valetta.

57 *Villa.* Qui & Marchio, & Imperator copiarum Ducis Sabaudiæ.

58 *Marti*

58 *Martinus*. Aragonius.

59 *Tenebris commendat amicis*. Nam noctis tempore intentarunt Sabaudici ſuppetias Vrbi obſeſſæ inferre.

60 *Viſit eques, viſitque pedes*. Inde nullo labore ad rem benè gerendam defatigatus.

61 *Callaicum*, I. Gallæcium.

62 *Andreæ Dominus*. Mirum, in propugnaculo S. Andreæ, qui vocabatur Dominus S. Andreæ ex maioris fiſtulæ traiectus glande cecidit.

63. *Dira Benauidius*. Idem Marchio de Carazena de quo ſupra num. 20.

ELOGIA

ELOGIA VARIA,

AVTHORE

D.D. DIDACO BENAVIDIO DE LA CVEVA;

Comite SANCTI STEPHANI, &c. Prorege Nauarræ, &c.

ELOGIA, VIRGINIS LAVDIBVS FAMVLANTIA.

VIRGINIS CONCEPTIO.

ELOGIVM I.

O Dies
A purissimo tantæ Diuæ conceptu
Verè niueo signanda lapillo!
Iam in Annæ gremio onus,
vt Mortalitas
Laboribus se incipiat exonerare.
Adest iam Diua Pupa
In vteri, non in culpæ tenebris.
Vnde Salutis Origo
Prodet:
Originarium crimen apagite.
Altissimi

Obum

Obumbranda Virtute,
Non
Hæreditariæ maculæ umbras
Contrahit.
Immune abeat à communi
Labe
Commune futurum labentium
Patrocinium.
Num ſub peccati lege,
A qua ſummus Legiſlator.
Tunc
Omnia Diuina ei Largitus eſt Deus
Cùm omnia abſtulit humana.
An ſummi Iudicis Album
Primi criminis aſpergendum lituris?
In hoc quàm puriſſimo
Humanæ conſignetur Decretum
Reparationis.
Primum Protoparentis Opificium cum
Innocentia;
Subſequens Parentis Maximæ Conceptus,
Non ſine Innocentia.
Euæ, Mariæ,
Conditæ, Genitæ,

Arboris,

Arboris, Alui,
Ad maculam, ad Candorem
Officit, Proficit
Fructus.
Hoc cum ita sit puro corde
Ad purissimum Conceptum
Vota concipiat
Religiosa Mortalitas.

VIRGINIS NATIVITAS.

ELOGIVM II.

Aurora
A te Diuino præuia Sole, non diurnos
Labores; sed quietem, Humanum
Genus præstolatur.
In hoc tranquillæ infensa Nocti,
Quod ab animorum oculis
Tenebras incipis discutere.
Te Roseam salutatum accedent;
Nisi Aëreæ Aues, æthereum saltem Aue
Prodeas iam sine rore,
Dum sine lachrymis.

Naſcendo rides ; quia tecum Gratia
Riſus oritur.
Tu parua ; tu magnum Cœli
Miraculum !
Nitidam te enititur Parens.
Ecce Charites cunas luſtrant choreis,
Et quæ non vincitur noxis.
Brachijs vinciunt.
Ex hoc tu clarior Aurora
Quod ſol corporato velo circumſcriptus
Subſequetur.
Luci, quæ tuis creditur deſtinata fuiſſe
Natalibus Luna præſidet.
O bene ! Latonæ faſces, faſcijs ;
Atque illius crepitantia æra
Virgineis cedant Crepundijs ;
Perque Triuiam
Trini, & vni Parentis Numinis
Exordium inauguretur.
Cui Pallidis cunas Septembri Menſe
Vana Antiquorum ſuperſtitio
Addixit ;
Chriſtiana Relligio natalitium Diuæ
Sue imponit tripudium.

Sic

Sic
Qui Mineruam iactabat vagientem;
Iam Mariam ostentat ridentem.
Grauidus nunc iure merito
Autumnus prędicatur.
In quem
Parens Anna dulcissimum vteri
Sui fructum exonerat.

MARIÆ NOMEN IMPOSITVM.

ELOGIVM III.

O Dulce labiis nomen;
O dulce cordibus omen!
MARIA, seu MARE.
Excurre calame, hæc dent
Tibi cærula cursum.
Non tibi in salo deficient sales.
E Mari fabellis emergit Venus;
Et tu è Mari dabis Veneres,
Quid Maria?
Stellam, Dominam, Myrrham sonat.

Quàm

Quàm ad ſidereum, ſi ſtellam:
Quàm ad ſupremum, ſi Dominam:
Quàm ad incorruptum nomen, ſi Myrrham
Veneratio appellat.
Ad militarem Eccleſiæ teſſeram
Mariæ Nomen.
Eat omnigeno ore, omnibus
in oris collaudatum.
Ambroſeus tubus gutturi:
Nectarea palato fiſtula:
Vbi tu fœlix, non ibi fel.
Multis nominibus tanto nomini litemus.
Maximum es? in te laxis pomærijs
Spatientur laudes.
E Superis deſtinatum? celeſtibus
te veneremur Encomijs.
Potens? omnibus laudationis neruis
Proſequamur.
Floridum? à te dicendi non recedant
Floſculi
Pulchrum? orationis in te calamiſtri
Confluant.
Exornatum? tecum viuant lemniſcata præconia.

Interea

Interea Nomen
Dum Virgini ad nuncupationem;
Mihi ad venerationem
Adhæreas.

VIRGINIS PRÆSENTATIO

ELOGIVM IV.

ADeas Numinis Tectum;
Nondum Numinis detecta Mater.
Sic
Ad Aram maximam accediis præ-
sentenda Genitoribus
Vt nisi victimam; te victatam
Contemplemur.
Recedat Thymiama,
Sacrificia suauissimo tuæ virtutis
Odore iam suffita cernimus.
Pupula penetralibus deuota sacris,
Vt cùm à Deo; tùm apud Deum
Magna fieres.
Regiæ Ædes, iam te Reginam edunt.
Ecce quæ ad Mundi Reparationis

Segregata opus,
Puellari aggregata choro
Diuino cultui operosa.
Hic ex multis vna, quæ Vnica.
Hîc quà mente apud Polum; quà
Manu apud Pensum,
Atque animo in eum vota concipit,
Quem vtèro conceptura erat.
Hic antequam Deipara.
Deo parit.
At cuius tenella Virgo imperata
Facit?
Anna, qua fatidica Præses.
Hinc illi Anna Genitrix;
Hinc illi Anna Moderatrix.
Vel in hoc indulgentia in Diuam Cœli
Consilia
Duas inter ANNAS *dum*
ANNORVM *sortitur accessionem.*
Sic adolescat
Virtutibus tradita, quæ Viro
Mox tradetur.

Virginis

VIRGINIS CVM JOSEPHO NVPTIÆ.

ELOGIVM V.

REcede ab animis scelerum
Insistens iugum.
MARIÆ, & IOSEPHI
Iugalis nexus hoc auspicatur.
O magni Consortes lætam ad Mundi sortem!
Iunguntur connubio, Virginati
Antea deuoti,
Et virtutibus fauendi.
Ille custos, hæc Mater Deo præest.
At quo, Iosephe, Diæ Puellæ
Sponsus comprobaris?
Prodigiosa virgâ protudente flores.
Vernanti hoc vere,
Vera indicatur fœlicitas.
Ex Virga, tibi Virgo,
At cur tu Faber lignarius?
Quid erat in Virginea Arca dolandum?
Illa cedrina; nec qua vermicu-

labatur ; sed vermiculata.
At tu ad illam peritus æstimator,
Non artifex accedis.
Quali coniux Dote tibi locuples est?
Eximijs animi dotibus.
Ipsam auream, pro lato fundo
Dotali sorte consequeris.
Qui muliebris Mundus?
Eius sub clientela Mundus.
Interim
Dum vobis sponsis
Propinqua spondetur salus
Bini, beate solum.

NVNTIVS CÆLESTIS AD VIRGINEM.

ELOGIVM VI.

AD Portentum adesto Mortalis.
Quà æthereus Ales, quà Alumna ætheris.
Hic nunciat, illa stupet.
Mente oranti Cœli oracula.
Et quæ animo conceperat

Ad

Ad vtero concipiendum ſuum conditorem
Præparatur.
In criminis letkum, en læta verba.
Cedo nunciantis beatæ Mentis concionem.
Quia, inquit, non Eua, ad te cum Aue.
A ſupremo Ciue
Supremam te noſce Matrem.
Cùm plenis à me verbis:
Tùm gratiæ pleniſſimo munere
Cæleſtem accede thalamum.
Nec tuum inſuetus mei aſpectus
Animum occupet.
Tecum Princeps, tecum Aulicus.
Te inter Mulieres ſortita benedictionem
Adeſt Mundus benedicendus.
Carpe
Ex Trinis Diuinitatis ramis,
Conſentiente voluntate,
Fructum
Vt Paradiſei fructus damna
Reparentur.

VERBA APVD VIRGINEM INCARNATIO.

ELOGIVM VII.

AN tu, calame, facundus,
Vbi vno verbo facunda, & fœcunda Virgo est?
Paucis disce vti,
Quando tantilla Vox FIAT
Ad ineffabilia orbis commoda
Perorauit.
Haud Verba, & Verbum.
Tunc de meliori nota dabis laudes,
Cum ab exarandis notis
Abstinebis.
Siste ad gremij sacrarium te venerabundum
Et Fœderis Arcam, & Arcana
Cœli clausa in illa contemplare.
Proh stupor!
Iam apud Mortales Reparationis est
Pignus
Cum Virgineus Pignora venter
Gestat.

Numen

Numen & carne vinctum, & Vindicem
Siderea enitetur Parens,
Cui referendum acceptum,
Quod dum in vtero Deum cælat,
Terra redditur cælum.
Victimæ examinatis visceribus
Fælicia præsagiebat Antiquitas:
Virginis meditando viscera.
Fælicia enunciat Posteritas.
Illa prosperis cum signis;
Hæc cum ipsa Cæli Prosperitate.

VIRGO AD ELISABETH.

ELOGIVM VIII.

IAm Virgo Grauida, te non grauatur
Elisabeth adire,
Salutis humanæ Parens
Te accedit salutatum.
Festina ad festiuam.
Quid primo in congressu?
Consanguineum nectens collum brachijs
Nexum sibi vterô testatur Deum.

Tu cum ſenectute ; illa cum Virginitate
Genitrices prodigioſæ.
Ambæ gremio , non animo tumentes
Nullis potiori iure , quàm veſtris
Sinus adhæreat nomen ;
Cum tutam ad illorum tranquillitatem
Diu expectata è Cælis fœlicitas
Appulit.
Quantis à te Virgo laudibus cumulatur
Et meritò à Præconis matre Præconia.
Interea puer Ioannes in maternis
Vteri latebris exultat
Et conſonum erat
De magnificis Dei laudibus Maria ,
Canente , vt choreæ ducerentur
Peperiſſe , credendum eſt , Eliſabeth
Præſente Virgine.
Et quàm felici dicam partu
Sub tantæ Lucinæ preſidio.

VIRGO PARIENS.

ELOGIVM IX.

NOn MARE, ſed MARIA *ſolem dedit Orientem.*

Sub mediam noctem Mediator,

Et LVX *editur in lucem.*

In ſtabulo iam ſtabilis humana Salus.

Inter Bouem, & Aſellum

Non agri, ſed animarum ſupremus Cultor.

Siccine Præſepia capiunt Deum;

Et vbi Mugitus, ibi Vagitus.

Eccce tibi

Non ex vultu laxato ſudore: ſed.

Corporati Numinis ſtipante

Algore Mortalium enutriri Rempublicam.

Decembri Menſe Maria eſt Parens:

Atque inter albas niues

Canæ fidei edidit Authorem

Iam DECEMBER DECVMANIS *iactandum laborum vndis Mundi*
Reparatorem accipit
Quorſum vili in ſtramento nudum
Cœli pupum?
An ne ſic NVDA VERITAS?
Pene in nudo ſolo, qui ſolus Deus.
Ad natalitias Parentum Sedes
Cunctæ orbis Gentes
Ad Natale Dei Chriſtiana militia
Nomen dabit.
Quippe Cæſaris cum Edicto
Numen exit
Iam
Hinc Optimus, hinc Octauianus:
Hinc æternus, hinc Mortalis
In rerum Vniuerſitate Moderatores:
Interim dum pace orbis quieſcit
Militantem ſe Eccleſia profitetur
Adeſt ei, & in pueri cunis,
Et in belli curis Imperator.
Ad cuius expeditionem, cum nec
Virgineus vterus, nec Iani fores
Reſignantur.

Huc,

Huc, Huc Pastores, in Paleis
Ad palleatum carne Deum.
Hic, hic
Vbi Palea celebrate Palilia.
Io
Inferni lupi cessat laniena.

VIRGINIS PVRIFICATIO.

ELOGIVM IX.

ET Puerum, & Pueram
Ad Templum aduocat
Sola Legis Obseruantia.
Tu pro illo Virgo purificanda, qui
Cunctas animi sordes è Mundo.
Abradet?
Ne irreligiositatis vlla inuraris
Macula
Cum legitimis te muneribus confers.
Si Diues.
Indicitur tibi Agnus,
Si Pauper
Columbini pulli, seu Turtures.

At

At tu
Vt Cœlestibus ditissima cum Diui-
no te sistis Agno:
Vtque humanis pauperrima cum
Innocentiæ candidissimis fœtibus
Turturinis, pro futuris Nati crucia-
tibus, cum gemitibus.
Eat fama nunquam moritura
Cum senis penè morientis vatici-
nio vocalis.
Transmittitur in Simeonis.
Gremium Pupus Deus.
Tunc illi stringens brachijs Solem
Futurorum tenebricosa clara luce
Perscrutatur.
Dimissum è superis dum videt, di-
mitti se è terris peroptat.
Hinc stringit; hinc contemnit vitam
Reparato iam Mundo
Corruere extinctus auet.

Cum

CVM PVERO VIRGO FVGIENS IN ÆGYPTVM.

ELOGIVM XI.

VT te, cum Nato remorentur
Virgo,
Bethlemicæ Sedes
Insigni tenellorum clade Puero tuo
Regni offerunt insignia.
Relige *iter ad quas*
In te amore, dum sanguine calent.
Innocentium cruore
Dominatori Innocenti infecêre purpuram.
cum Liberorum *morte*
Ab Herodianâ, & stygia Tyrannide
Libertatem: & Natum *Deum*
Cum Natorum *dispendio*
Acquirere contendunt
Tibi animo; Corpore Herodi hærent.
In parvum Reparatorem profusa crudelitas
In te profusum non adimit obsequium.
Ex pectore infantes impotens dominandi
Libido;

Libido, at tu fugiens
Cor abstraxisti.
Cœlesti sine Pane, iam Domus
Panis magna laborat caritate.
Istis haud suaderis Virgo;
Dum morigera Polo; fugitiua solò.
Ægypte
In posterum non tibi Cœlum erit impluuium
MARIA, *ac* IESV *aduentantibus*
Desuper rorabit,
Ac nubes pluent Iustum.
Non à te Diua Parens
Seruitutis incommoda extimescit
Secum gestat Redemptionem.
Tu, quæ septem Nili ostijs MARIA *subis*
mille obsequijs MARIAM
Accede
Certius, quàm fluuij vndis,
Illius Diuino semine tuus ferax abit ager.
Atque à Virginio VBERE *maximopere exultabit.*
Iam
Hinc flumine ignoto capite,
Hinc Numine sine Principio
O felix Regio.

Virgo

VIRGO CVM VINDICE FILIO excepta nuptiali Epulo.

ELOGIVM XII.

QVæ
Omnigeno Cœli ſaturatur
Nectare, an eſurit?
Haud quaquam.
Cur nuptiali Epulo excipitur
ſine Virginis ope, non illud erit
Opiparum.
Vinum deficit
Inde Diuinum Natum ad miracula
Suades,
Cuius imperio latices merum induunt
Quis igitur ibit inficias,
Si prodigioſum vinum Numen
Teſtatur, in vino adeſſe Veritatem.
Plena gratiâ patrocinio
Implentur vaſa.
Et ex lympha, non vt mentes lym-
phatas reddat, ſed ſtupore correptas

Vinum

Vinum propinatur,
In quo
Et primum seruatoris Miraculum;
Et nouissimum Conuiuij gaudium.
Vnde cum vino hauritur stupor
Iure deinceps ad Epulum
Destinatum Conclaue vocitare iuuat
Triclinium:
Trinus, atque Vnus
Accumbens cum Matre conuiua
Nomen illi facit.

VIRGO IVXTA CRUCEM.

ELOGIVM XIII.

Plangite Mortales Pectora
Ad passi Nati Patibulum patiens Mater.
vel hoc nomine iustus dolor;
Quia à Iustissima.
Heu
Profusa nimis vis, & sanguinis, &
Lachrymarum!

Illa

Illa in homines, hæc in filium
Amoris, Amantis
Vena.
Pendulus iam ex vitæ Arbore ad maturitatem
Fructus.
Quid mirum? irriguus ad radices
Virginei ocelli fons.
Acceptum tibi referat, ô Diua, terrarum orbis
Sibi iam stabilita Reparationis
Fœlicitas.
Quippè cum trabali patibulo
Clauis affigendum pro humanis commodis
Corporatum dedisti Deum
Nostram trabali clauo immotam red-
didisti prosperitatem.
Siccine cruciatum facies te pellexit:
Vt ad crucem stare videaris,
Nec terræ motus te mouet?
Agnosco:
Diuisum cum Sole, tu Stella habes
Imperium.
Ille occidit;
Tu stando emines ad pullati Cœli lucem.
Post, atratô æthere,

 Quod

Quod Natura lugens iustitium indixit
Iam serenitas imminet.
Nam
In agitantes procellas
Adhuc stat Cynosura.

VIRGINIS MORS.

ELOGIVM XIV.

HAud vigens stylus, vbi Virgo
Amore Languet
Huc, huc flores aduocentur dicendi
à floribus abeuntem è terra sti-
pantibus.
Fulta malis, non victa malo Diua
Moritur.
Cordis æstuat, non venæ incendio.
Iam è terrenis abibit non sine terreno
Corpore
Non marmore, sed memoria
Condetur.
Quæ iusta sunt celebranda, iustissimâ
Orbatus Virgine

Nunc

Nunc verè mundus orbis dictitabitur
Quod Mariam importat nomen
Inter orior, & M-orior
M.
Interponitur
Quis diem diem obeunti adſtat?
Et omne Cœlum, & Cœtus Apoſtolicus
Quæ apud Superos coronanda, quam
Illuſtrem ſtipantium in terris
Coronam ſortitur!
Excedat iam è mortalibus Maria, ac
Æthereis inſeratur.
Vbi ſtellæ niſi in Cœlis ſedes.
Nunquam ſolo tenebricoſior incumbit
Nox, niſi cum ſidus conditur Marianum.
O quantæ ſunt Aſpicientium lachrymæ
Et meritò
Vt ad Mare, ad Mariam riuuli.

VIRGINIS ASSVMPTIO.

ELOGIVM XV.

IO

An expers vitæ corpus
Quod Spiritus ad immortalitatem
trahit?
Io
Iam tibi, Mortalitas, apud ſuperos datur
Ianua:
Et quæ Iani fores obfirmabat,
Eadem Pax Cœli tibi reſerat.
Io
An lucis vſuram amittit,
Quæ ſole aſſumitur circumfuſa
Aſtra VIRAGO *aſſequitur*
Vnde ſic profari homini videtur.
pro te Vir-ago.
Io
Quæ totum ad ſe Cœlum traxit,
Ad Cœlum rapitur.
Io

Humane

Humane contemplare ocule ſepulchrales
Illos lapides, vnde Mortalitatis
Cum exuuijs beatas Sedes Dei-
para ingreditur.
Et ex marmoreo Candore
Æternæ aulæ candidatus euadas.
Et ex lapidibus
Elice inhiantis voti Beatitudini
Scint illas
Io
Nil graue iam Generi humano
Cum omne graue humanum,
Ad Cœlum rapuit
Deipara.

VIRGINIS TABELLA IN CONTESTANIA OPPIDO *Prodigiosè plorans.*

ELOGIVM XVI.

Mirum
Ex Marianæ figuræ ocellis
portenta exprimunt lachrymas.
An ne hoc,

Vt picta, sic etiam pia ostendatur.
Te Mortalem haud prætereat,
Non deesse ad salutem
In naufragijs tuis tabulam;
Inde cum vndis
Tabellam venerare.
Cuius oculus, ex Virgineis oculis
Defluentes vidit imbres?
Sacerdos dum sacrùm faciebat
Lumine Matris lachrymas,
Dum ore filij sanguinem
Hausit.
Quid?
Quod dum Lutheri insana rabies
In Catholicam cœperat Reli-
gionem debacchari,
Prodigiosus elicitur ex Diuæ
Luminibus fletus?
Num nec vt purissimo latice
Hæreticas ex sacris paginis
Lituras ablueret!
Lutherus non ne lutum?
Præsto ab æthere sint vndæ; si
Erebus Cœno scatet.

AD

DE HISPANIA ELOGIA.

HISPANIA GEOGRAPHICA,

ELOGIVM I.

HISPANIAM dabo
Ecce tibi Primam continentis Europæ
Et Principem Christiani Orbis Prouinciam.
Vt situ, ita Calamo exprimitur.
Vis Bubuli coreum humi protentum?
Eam contemplare.
Nec te fugiat vel à Bouina specie
Commendationem accipere:
Quippe Naturæ propter munimenta
Nec ingenio adiri potest
At si Arx, cur non Byrsa?
Taurino quantum possis circumdare tergo.
Quis illi ieiunas asserat glebas?
Quis ferax non extollat solum,

Cui Bos incumbit
Porrò tribus, hoc est, Celtico, seu Nereo:
Sacro, seu Diui Vincentij ad
Orientalem: Lunario ad Occidentalem
Plagam instar Delta Δ promon-
torijs suis, maximopere capitata.
An non
Sub hac forma literata est?
Vt re, sic oris sapit acumina.
Accede ad ambitum.
Quæ Orientalis Hispaniæ Pars est,
Perpetuo Pyrenæi iugo, à Galliâ
disterminatur;
Hoc à Veneris templo propè
Illiberos exortum in Oceanum
Desinit Cantabricum.
Iactet Hispanorum montium fragosa
Asperitas, si à Venere incipit
Venustatem.
O mirum?
Fabulosis ipsamet Numinibus suis
Decepta antiquitas gradum
Hispaniam inferenti templa
Obijciat, futuræ pietatis in Deum

Sine

Sine corruptela præsagium.
Esto huius Regionis
Religio Ostium, ne Hostium sit.
Atqui ex hoc limite
Valde angusta; tamen vt Augusta
montibus coronatur.
Ab Aquilone Cantabricus: ab
Occasu oras Atlanticus cir-
cumscribit Oceanus:
Vbi Auster, ibi fretum Herculeum;
Ibi Mediterraneum sub Iberici,
Balearijque Appellatione
Nec iniuriâ,
Vt noui Orbis Euasura Gens Domina,
Dum omnigeno propulsatur mari
Ad nunquam tentatas prouo-
caretur nauigationes
Verùm
Quà infuso per montanas
Facies pelago in Mediterra-
neum, Promontoria extuberant
Alterum Africanum; His-
panum alterum:
Abila illud; Calpe hoc,

Quod & ab Aristotele Briareus
Dictitatur,
Etiam Hispania concelebranda
Namque
Cum Briareo manus illi dedit
Parens Natura multiplices.
Ad Americam apprehendendam.
Quid de longitudine?
Maxima leucas Hispanicas CC *amplectitur*
Latera? ad CXL *laxat.*
Totius Ambitus? DC *constat.*
Quamobrem inter vastas, ac breues.
Regiones (vel solo; sola
Esset ad auream mediocritatem)
medium obtinet locum; &
Quæ mediocris agnoscitur
Etiam
Mundi centrum vocitatur.
Nec enim plus littora Nili
Quàm scythicus Tanais primis à Gadibus
Absint
Quid plura?
Te iam in centro, calame
Quietum siste.

HISPA

HISPANIA HABITATA

ELOGIVM II.

CVr vsis ex ære Corinthio
Immodicum factum esse pretium
Testatur Antiquitas?
Certiùs Hispania hoc de se gloriosa
Proponat.
Varijs conditam illius gentem
Nationibus satis constat.
Armenus seu Celta
Primò cum Thubale Noachi nepote
accessit. Sequutus est Lybicus. Asiaticus confluxit. Tros penetrauit. Ægyptius venit, & qui
Orbis in Vrbe,
Etiam in Hispania visus est.
Illa Domina, hæc Gentium
Patria.
Venustatibus ex multis pulcherrimam Apelleum expressi Venerem Penicillum: non-

nullorum

Nullorum Populorum in
Vnum congesta Perfectio
Hispaniam, ad ciuilem
Præstantiam,
Expolijt.
Celta est. Non ne pius; Ægyptius est.
Non ne nobilis Asiaticus est. Non ne diues?
Vbi Græcia.
Nulla barbaries, splendor Togæ.
Vbi Italia.
Laureatus Mars, Gentium Principatus
Vbi Lybia.
Indomitus animus præferoces spiritus.
Haud ignores
Qui aliò migrarunt Hispani,
Natale iterum Solum
Repetere.
In hoc Columbæ à tutatrice humani generis arca emissæ vestigia insequuti, redeunt
Nuncij Regionis domandæ
Qui dicesserunt
Propugnandæ.
Ergò

Ex

Ex varijs Hispanum Populum,
Varijs prosequatur accla-
mationibus
ÆTERNITAS.

HISPANIA SVB VARIA APPELLATIONE.

ELOGIVM III.

Q Vot Rerum omnium OPIFEX *dotes:*
Tot nomina Gentes varia contulerunt.
Hesperia, & Iberia apud Strabonem,
Et Plinium. Hispania vna voce.
Hesperia vltima in Horatianis
carminibus. Hesperia Iberica ac-
cipit à Diomede. Celtiberiæ no-
men indidit Appianus. Caldeus
Spamiam, Tobelam Iosephus appel-
lant, In Ptolomæi, & Stephani
Monumentis Pannonia legitur.
Spaniæ nomen à vocum corrup-
tela Ortellius eruit, Sepharad
Ab Hæbræo vocitata.

Cum

Cum multis, & præstantissimis populis
Multifaria in eam confluat
Appellatio.
Vbi Nomen, ibi fatendum exuberare.
Nobilitatem
Adstet varijs nominibus stipatus
inter Romanos ingenuus: ser-
vus vix vnum sibi vindicet,
Ne firmis destituatur Hispania
Nostra Argumentis, multifaria
Quod & Nomenclatio in excel-
lentiæ prædicationem traducatur.
Platonis calculo definitum.
Non nisi à sapientiâ præpollentibus
Nomina imponenda: quippe qui
à rerum notitia apprimè
Instructi appellationes
adæquent.
At quis Hebræo peritior Nomenclaturæ
Artifex, qui vel suum Hispaniæ
Apposuit?
Certant vrbes: Reges contendunt,
Flumina student: Populi inhiant:
Sydera poscunt Hispaniæ, Iberiæ.
Hesperiæ

Hesperiæ nomina indere.
Num, ne alterum (non Poëtarum can-
tillatum fabellis; sed Historica com-
probatum narratione: non vrbi,
Sed Regioni: non Athenis; sed
Hispaniæ; non literarum Al-
trîci, sed Parenti) de nomi-
nis impositione dissidium
Excitatur!
Tot eam nominibus cumulant: quot
In ea suas recensent perfectiones:
Cum Vrbibus vrbanitatem
Præsefert.
Regibus maiestate adhæræt.
Cunctis affluens bonis flumina repræsentat
A Populis non abhorret frequentia.
Igitur
Inter tot nomina, multifariæ
Omina suspice fœlicitatis.

HISPA

HISPANIA GOTHICA

ELOGIVM IV.

QVi toto Romano Imperio
Volitauit Populator, huc concessit
Dominator.
Dux suis: Nex Romanis, Crux
Europæ, Rex Hispaniæ
Ataulphus.
Qui Barcinone consedit iure Regni
Ab Honorio accepto;
Vt quo Vrbis præda illuc transferretur
Imperium.
Tunc desinit bellicus Gothus esse exlex,
Cùm Hispanis legitimus Princeps
Accedit.
Imperat pacificus victor,
Cuius laurea præferocis populi non
Euitat fulmina.
Morte Martem Gothicum Hispania
Accepit.
Quàm infecit sanguine

Regiam

Regiam dedit Barcino purpuram.
Quâ Rex extinguitur; qua illius viuit
Desiderium.
Cadauere è frigescente calet.
Amor.
Post cruorem lachrymæ fluxerunt.
Acceperunt tumuli marmora:
Vt Parricidij delerent laudationis notas.
Verùm internecione
Testata est se indulsisse ferociæ; non
Sustulisse Tyrannum.
Sepulchralibus illis lapidibus multis
Sæculis perennandi Regni
Iactum est fundamentum.
At non minus Gothico corpori infixit;
Quam animi vulneribus
Superinduxit cutim,
Quippe
In eâ visus est resipiscere;
Et
Qui accessit Arrianus;
Euasit Romanus.
Proh stupor,
Illi incipit fidelis parere Hispania;

Cui postea veram fidem
Præstitit.

HISPANIA NAVTICA
ELOGIVM V.

Vel in Oceano expiscatur laudes
Hispania!
Nec toto pelago circumscriptos
Quam laxos sortitur preconiorum
Cancellos.
Num quodlibet par Orationis curriculum,
Per immensum currenti,
Extollitur vndis, sed ad Cœlum.
Sola in tanto salo;
Et tunc non sola,
Cum altera iam sit Typhis, & altera
Quæ vehat Argo
Cum classi extra classem:
Sonant illius acclamationes fluctus.
Gessit Herculi feroci in terris
Morem, in pelago haud auscultat
Plus vltra à meta illi præscripta
Euecta est:

Et

Et primum Atlantico superata
Exantlandas inaugurauit
Nauigationes.
Vela dantium Virtus honori velificatur.
Non ab re extra orbitam;
Cursus, cum extra Orbem.
Pietati incrementum; Imperium
Sibi; Mundo Partem Hispania
Nautica addidit.
At cum Americam subiectis nomen
Indidit Prouincijs; cur ab Aduena
Nauclero deducitur
Appellatio?
In hoc opificem imitata summum;
Qui condita sua
Alij dedit; hoc est, Adamo;
Negotium nuncupandi
Porrò
Nulla Hispanis Gens in maritimis
Illustrior;
Cum totum vno nauigio suo orbem
Lustrauit.
Et quæ hoc magnum facinus testatur

Carina, victoriæ nomen.
Ecce tibi
Quicquid fragile, vel apud eam
Laureatum.

HISPANIA LITERATA
ELOGIVM VI.

QVis credat,
Tunc Hispania literis, cum Populis culta est,
Vt homines ad se accessisse non
Ambigeret.
At si infantia erudita, quæ ætas firmior.
Videt se longo sæculorum ordine
Inter arma togatum, inter togas
Armatam.
Palladis amauit Galeam, hamauit oleam.
Vnus Cæsar, vna Hispania
Ab vtroque.
Vt quondam illa Roma fuit militiæ.
Sic illi Roma eloquentiæ Palestra.
Altera Romanum latronem: altera
Portium eloquentiæ principatus
Latronem passa est.

Quid?

Quid? quod Huiguino Augusti liberto
Forensis concio acclamauit,
Cui Rhetorices splenium
Seruitutis stygmata obliterauit.
Cum Senecis quidem illius
Non senescit, sed viret lite-
ratura.
Quibus Tragædiæ, & Moralis Philo-
sophiæ Principem Hispaniam
Veneramur.
Ambo Annæi,
Vt annos, & æuum: vel nomine superare
Videantur.
En qui Tragicus, stylo
Infortunatos casus felicitat:
Qui Moralis cognatam Philosophiam
Reddidit Christianis præceptis:
Vni, quòd benè tractaturus esset chordas;
Alteri, quòd cordatus maximoperè
Euasurus esset, ad omen
Natalis Corduba accedit.
Mox,
Si L. Moderatum columellam oculis
Subijcis: apud Hispanos vel rura

 Offen

Offendes non minus vomere, quàm
Calamo perarata.
Neque exlex Romanus sermo est.
T. Quintiliano ab Hispania Rhetorices
Institutore.
Debent Musæ Hispano Poëtæ
Acuminibus instructæ,
Quòd esse videantur Martiales.
Et in Silio Italico, vel silentium
Est cantus.
Quod PRINCIPEM *inter Poëtas locum*
Obtineat Annæus Lucanus, hoc
Cedat in argumentum;
Quod Neronem PRINCIPEM *inuidum*
Reddat.
Ille ingenium, hic gladium acuit.
Ille ARTE, *hic* MORTE *concurrit*
O præstans Lucani Lyra,
Quæ delyrio Neroni est!
Celebrandus inter Poëtas, clemens
Prudentius Hispanus existit.
Ecce tibi
Furor Poëticus iam ad prudentiam traductus.
Quam magna Hispania, quæ
Imperatori magno magnum Præceptorem

Addicit
Traianus audit Tacianum, vnde, &
Benè audit.

HISPANIA RELIGIOSA.
ELOGIVM VII.

VEre Cæli candidata Hispania,
Cuius animus puræ induitur Religionis
Candore.
Maximâ Maximo Pontifici se pietate
Subdit.
Triumphantis non semel detrectauit;
Militantis Romæ constanter accipit
Iugum.
Christiana si Pietas lux est,
Hesperus Hesperia.
Atque ideò quò appellit, diuini cultus
Dies subsequitur,
Alij se immisere Voragini:
Hispania verò vorans pelagus non ex-
timuit; illi vrbis; hæc orbis per-
niciem, vt auerterent
Christo Gentes cum Oceano domuit:
Per innumera dum vehitur tumentis,

Maris falsæ religionis ademit
Naufragia.
Tunc Oriens:
Cùm ei Veritatis iubar affulget.
Tunc Occidens:
Cum ei serpens occidit & fallax Numinum
Veneratio.
Et aromate, & pijs oluit, Hispania
Imbuente Indus Moribus,
Accepit Barbarus humanitatem iussus
Ab humana carne abstinere.
At illa, quæ peregrinis plagis dogmata
Inuexit ; peregrina suis eliminauit.
Gloriosum ; quòd Heræsis illi non
adhæsit
Iactat se Herculem, quondam
Regem sortitam esse.
Quid mirum si Capitosam Erroris Hydram
obtruncauerit.
Ac dum idem prosternans Numen
(Antequam Christiana imbueretur fide)
Præcipuo venerata fuit cultu testata
Est, vel in vanam Religionen
Robustam præse tulisse
Pietatem.

ELO

ELOGIA VARIA.

LECTOR.

EMMANVEL BENAVIDIVS Authoris filius, cum in Conuentu de Pace Europea apud Fontirabiam inter Hispanos, & Gallos,an. à reparato orbe 1659.moram vnà cum Patre Nauarreo Prorege, adnecteret (vt eiusdem Genitoris sui imperata faceret) intendit, Excellentissimum Principem D. Ludouicum de Haro, Carpij Marchionem &c. Atque Eminentissimum sacri Romani Collegij Purpuratum Decus Iulium Mazarinum, Hispanum alterum, alterum Gallicum, ad fœdus Plenjpotentiarium Elogijs prosequi, quæ, præmissâ quâdam oratiunculâ, debebat pro valuis ligneæ domus, cui Vidaso circunfluus, dare pendentja. Sed cum per opportunitatem non licuit,hoc in loco ea tibi Lector in medium vt Typi, non præstiti obsequij, vicem suppleant.

Verùm cum anceps erat, soluta ne, vel numeris vincta oratione præludere debuerat ad sa-

lutationem Principum ex vtroque genere conceptis verbis se accinxerat, quæ hic habes vna cum Elogijs.

PREAMBVLA AD ELOGIVM Excellentissimi Principis D. LVDOVICI DE HARO *Marchionis Carpij*, &c. *soluta Oratione verba.*

QVam latè nomen tuum (Excellentissime Princeps) insideat gloriosum, hoc in argumentum cedat, quod etiam puerili meo in ore sibi locum obtineat. Vtinam cum ætatis mihi dicendi flores accederent, vel meæ laudationis serto Heroicæ virtutes tuæ incederent redimitæ; & quemadmodum, tantillo corpore Luscinia illa canora, vt satis constat cytharam peritissimi æmulata fidicinis, antequam modulationi vitæ cessit; non secus ipse celeberrimis de te Oratorum insistens vestigijs, haud prius, si opus esset, luci meæ, quàm laudi tuæ modum imponorem. An mihi breuibus circumscripta pomœrijs dicendi seges occurreret. Tu quà Hispaniæ vindex, quà Populorum columen, quà Religionis Asylus; quà Politiæ cultor; quà innumeris, & gloriosis exantlatis laboribus nostræ ætatis Her-

cules; quà in præsentiarum ad commoda Christianæ pacis præsentissimus Author; tu Intimus Regi, intimus gloriæ. Atqui, etiam si hæc ad fusè perorandum tuis in me, atque in parentem meum innumeris aliqua ratione vellicant, sileo. Quippè, si per te licebit, multi ipsi Parietes vicem meam suppebunt. Inde pace tua accedam, atque vt virtutis trabali clauo immortalitati, omniumque pectoribus infixus es, sic etiam breui inscriptione celebrandum muro isti profigam.

PRÆAMBVLVM AD ELOGIVM
vincta numeris oratione.

O Princeps Hari, Guzmanique inclyta Proles
Sceptrigeros sortitus Auos virtutibus æquas.
Hic vbi fœlicis statuis commercia pacis
Annue carminibus Docti resonare Poëtæ
Gesta tua, Hispanos, Latiisque adiungere versus,
Et geminum in laudes etiam sine plaudere limen.

Hîc interponebantur quædam carmina
Hispano sermone conflata.

Progredior Titulumque manu complexus vtraque
En adsum votis, pedibusque accedere pergens.
Tango Aram mediaque domos, & Numina testor.
Nulla Dies pacem hanc nobis, & fœdera rumpet.

EXCELLEN

EXCELLENTISSIMI PRINCIPIS
D. D.

LVDOVICI HARI, & GVZMANII

Marchionis Carpij, Comitis-Ducis
Oliuarij, &c.

A Magno, & Catholico Rege PHILIPPO IV.
de Pace cum Christianissimo LVDOVICO XIV.
Sancienda Plenipotentiarij.

ELOGIVM.

HOSPES
Sunt geminæ Pacis portæ sic nomine dicant,
Quibus
Dum asseribus ad excitatas ædes, amneque
Circumfluas patet aditus,
Secundam dari tabulam hîc Regum
Concordiæ post naufragium
Ne te prætereat.
Infer ad Ostium, non Hostium
Gradum.
At qui intus!

HARVS

HARVS *seu icti fœderis* ARA *Maxima.*
Atque in ea, nisi
Numen, Numam;
Nisi Martem,
Onustum laboribus, augustum meritis
Hispanum venerabere
Herculem.
Ex hoc, quod multa Heroica exantlauerit Atlas.
Vnde ecce tibi
Quem Aragonij arce recuperata Monzono,
Suum colunt columen:
Barcino cum Catalaunia in antiquam
Fidem restituta vocitat
Assertorem!
Hîc,
Vt nullis æquaretur laudibus,
Æquor
Decem & octo menses classibus occupauit.
Ac ne Hispana potentia
Pateretur naufragium,
Per eum Miles naufragia contempsit.
Pelago aduersæ fortunæ
Procellas m[illegible]sit.

Sic

Sic principem Vrbem terra, marique
Militum præssit corona,
Vt sibi in gloriæ sertum
Refunderetur.
Tandem,
Quæ in vndis obsidiones Tyri, atque
Antuerpiæ claruerunt, in vndis
Obruet Fama.
Sola in salo
Illius Domitrix Prudentia de-
cantabitur.
O quam benè ad magnam Magni Philippi IV.
Regis Vicarijs Curis prouectus
Moderationem;
Vt ad magna, quæ Rebellio contraxerat
Iterum Hispania laxaretur confinia!
Mox in vtraque Sicilia
Gliscentes Plebis tumultus compescuit.
Et iure merito
Omnibus præsit ille nutu, qui
Nutantia confirmat.
Interim horum patrator
Frequenti per Hispaniam itinere,
Vt victor euaderet, desudauit

Vigil.

Vigil.
Vel indefeſſo curſu
Ab eo circumferre fama diſcat
Præconia.
Adde quod
Luſitani, niſi parent per illum
Iam pauent.
Expugnauit munitiſſimas Arces;
At in poſterum peruicaciam
Proſternet.
Niſi cedant Cædes, hoc Moderatore
Eis imminet.
Inimicorum claſſicis ſuſcipiat
præconia.
Dum Fabium Maximum,
Qui
Cunctando reſtituit rem
Noſtra tempora
Suſpiciunt.
O caput vndique lauro decorandum,
Quod, Ingenij acie, militum
Acies ad victorias
Direxit;
Quod mente Martem ſuperauit

En

En
Regijs Castellis, & Leonibus, vt
Regio toties sanguine coronata,
(Vt illius nomen crescat
In maius)
Maiorum accedunt Insignia.
Vel Numismate
Numinibus Immortalibus transcribitur.
Quid Lupi
Illæsos ore agnos gestantes
Sibi volunt?
Nisi quod INNOCENTIA *sub eius patrocinio*
Innocuos reddiderit Offensores.
Non ne cum Gentilitiis lebetibus,
Dum Princeps Nobilitas emergit conspicienda
Illorum ære, ære perennius
Ad Posteros tantum cucurrisse
Satis constat Monumentum?
Quid Angues
In ipsorum ansis in volumina tortuosi?
Vt cum symbolo ei cessisse Æter-
nitatis munera cog-
noscamus.
Dum impolluta Arminius in

Insigni

Insignibus vellera ostentat,
Eundem in illius moribus candorem
Testatur.
Si catenæ nexibus dissolutæ
Posteritati accedebant testes
Familiæ Principem, per catenarum
Fractionem innumeros fregisse
Mauros: eum fœdus bello
Clades mutuo fœderis
Nexu compescentem
Prædicabunt.
Vt Ianum subdat catenatum
Ferrea accedunt vincula.
Etiam in illius stemmate
Hymenæi laqueis
Reges ad amorem vinciuntur.
O Heroem egregium,
Qui post tot illustria facinora,
Vel Carpij titulo
Carpit immortalitatis iter.
Et Oliuarij Dignitate
In hanc ligneam domum, vt Columba
Oliuifera Pacis nuncia ingressa
Est.

Vt fluminis Vndæ; sic anni ei
immortalitate perennes currant.
Adeò hisce in lymphis,
Lymphatum animum Bellona
deposuit.
Sic verò iam cautus ingredere
Ad Harum *siue ad* Aram,
In qua,
Dum Hispani, & Galli potentissimæ
Nationes:
Paribus se legibus ambæ
Inuictæ gentes æterna in fœdera mittunt.
Tu ad eam
Istis carminibus accede Vates
Tango Aram, mediasque domos, & Numina
Testor.
Nulla dies pacem hanc nobis, & fœdera
Rumpet.

AD

AD EMINENTISSIMI CARDINALIS

IVLII MAZARINI,

Elogium, præambula Prosæ verba.

ÆTERNO nomine, fœlici omine (EMINENTISSIME PRINCEPS) ſic in aures Mortalium commendatus illaberis, vt quibus adhuc non patuit tua Auguſta præſentia, ſtatim ſi copia fiat, ad tui contemplandi deſiderium moueatur. Inde factum, vt dum tu immortali gloriæ conterminus Regnorum terminos ad pacem ſanciendam accederes; vt multi vel ex noſtra Hiſpana gente, ad te, ſpectatores confluerent, effeciſti: Inter quos, cum huc ipſe me deportarem, quem in optatis habebam Magnum Heroem luſtris omnibus celebrandum, luſtraui oculis: & quam eximiam elegantiam in corporata virtute cognouiſſet Plato, huiuſmodi in te vel trabeæ purpurato ſplendore inuectam offendo. Atque tui Oris Majeſtas, virtutis dignitas, Honoris Apex mentem ſtupore defigit: hæc eadem tibi cum beneuolentiæ argumento in me effuſo;

 niſi

nisi ad perennem celebrationem, ad iugem saltem memoriam ora laxabunt. Cœterum, cum id, per temporis angustias in præsentiarum non liceat, sine, vt quemadmodum laudatoribus ita laudibus tuis breui exaratis in scheda Ianua ista pateat. Iam credo à te facultas votis responderc meis. Accedo.

Alia per carmina ad Elogium introductio.

Romulei sublime Decus, columenque Senatus,
Cardine quo Galli versatur gloria Regni,
Æternum tibi Fama viget vocalis in omni
Parte soli; seu bella iuuant; seu fœdere nectunt
Regales animos. Hæc cum patefacta coruscent
Nestoreo passim promptis de gutture verbis,
Nunc patere exiguis vt sint quoque nota pagellis.
Sic petit obsequium. Ne dedignere rogatus.
Quô proper.o Mecumque fores, vtrumque loquentur.
Connubio tali cessantibus vndique bellis
Francica se quantis attollet gloria rebus?

EMINEN.

EMINENTISSIMI
IVLII CARDINALIS MAZARINI
Regis Christianissimi Vicariâ
potestate insigniti
PACIS
In præsentiarum Sanciendæ à Gallis
Plenipotentiarij.

ELOGIVM.

QVisquis ades
Si in hanc sedem Principis Maiestas
Te aduocat spectatorem
Paucis te volo.
In eâ
Franciæ, Fœderis
Prudentiâ:
Vrbis, & Orbis
Purpurâ
CARDINEM
Offendes.
Quem IVLIVM *dum in præsentiarum*
Iuuat

Iouem tu dicito.
Hic nominis claritate, & patratis
Gestis singularis: Nunc
Christiano orbe pacato;
Quod Bellicæ tubæ sileant.
Poëticis tibijs maximus traditur.
Quid loquor?
Pacis somno,
Regum animis quiescentibus,
Tanti Herois præconia,
Concubia vel silentij nocte
Canorus Gallus
Decantabit.
Fæcunda hominibus: Gloria fæcunda
Gens
Facunda in eum abibit
Commendatione.
Iam diu
Vicarium sui Principis,
Sine
Laudis, & laureæ modo
Moderatorem efferebat;
Et
Ex Astrææ fastigio
Celebratum

Celebratum astris inseruit.
Haud immemor,
Quo magis illum honore;
Se magis potentia excreuisse:
Et in eius Trabea
Trabali clauo fixam cessisse
Prosperitatem.
Regiam in MAZARINO *manum*
Venerata est.
Qui dum teneros Domini sui annos
Fidelis, & Familiaris
Cordatus, & Consiliarius
Aulicus sequitur.
Illum nominis immortalitas subsequitur.
Alter ad Imperium:
Alter ad Gratiam adoleuit,
In dies
Hinc virtute, hinc gestis
Clarior, Praclarior.
En cui
Gloria cum milite fecisse
Stipendia cognoscitur.
Qua Regni Parma, quà Victoriarum
Palma.

Quibus ſecuris fœlicitatis
Sepimentis Gallia
Circumſcribatur
Ex eius Gentilitijs ſecuribus tandem
Cognoſcat.
In ſymboli faſcibus auita ſplendet
Nobilitas
Sub laborum faſce
Prudens micat animus.
Sic
Mens illius pœnè Cœleſtis
Francorum negotijs adſcribitur,
Vt nulli ad vigilantiam faſces
Submittere videatur.
Non vt Conſul gerit faſcibus inſignia;
Sed vt Regi optimè conſulat.
In ſancita Pace
Hoc pateat.
Amandato Gradiuo
Ad maiorem ſui Regis gloriam
tendit gradum.
Et dum illo authore,
Inter potentiſſimas Nationes
Pax hæret.

Formidat

Formidat Hæreticus.
Et magis magisque post fœdus
Fides triumphabit
Catholica.
Pacis inter illecebras
Vere Militans Ecclesia prædicabitur.
Inde magis egregius,
Cum, post fœdere vinctos Reges
Connubij nectat vinculis
Vt
Commoda; sic Regis sui, per liberos,
Perennitatem studet.
Vnde Infantis Mariæ Theresiæ
Catholici Philippi IV. filiæ,
Cum Ludouico XIV. Nuptijs
Mediator accedit.
Sic, nunquam laudibus æquandus,
Quod æquam Regi suo sponsam assequutus est.
Hinc huius prudentiæ nulla
Similis
Nam si Cœlestis opifex
Simile generis humani Protoparenti
Primæ fœminæ adiutorium
Fecit:

Hic Principis elegit.
At
Quam tu, Hospes, gentem hanc cernes,
Quæ Regna vigere
Coniugio tali, Belli cessante Procella,
Gallica se quantis attollet gloria
Rebus?
Regiis Matriti Iustitiæ à Conciliis.

V. I. D.

D.D. FRANCISCO RAMOS DEL MANZANO,

Quod Gentilitium EMBLEMA Panegyricum demonstratur.

ECce tibi, nisi Palladis,
Palladij scutum.
A Maioribus ad posteros, vt in
Maius cresceret defluxum
Numisma.
Sub quo Mortalitatis spicula retundit
Virtus.
Quòd insignis FRANCISCI RAMI
Iure merito illi Nomen INSIGNE

Quid

Quid in eò à penicillo?
Nudus Puer Oleæ Ramum alterâ
Protendens: alterâ verò manu
Fasciam, cui dictio VERITAS
Vsque ad pedes explicans.
O ab elingui PVPO, *clara voce, Præconia!*
Te, decimo octauo non excedentem
Anno inter Academicos Sal-
manticæ Institutores,
FRANCISCE,
Presagiebat.
Sic ille tibi, cùm illustris Generis;
Tum literati Genij testis
Accedit
Hic amictus expers; actu legalibus
In oraculis cum nuda veritate.
An mirum, quòd tam strenuè elu-
tatus es studiorum difficultates?
Nudis Artubus Athleta
In literariam Palestram à Gentis tuæ
Stemmate immitteris.
Atque vt niteas in arena victorijs
Quod è baccis tui RAMI *elu-*
cubrationes exprimunt, ni-

teas

teas oleo.
Haud insolens, quòd pensum
Tuum literatum sapiat
Vngues;
Cum teneris ab vnguiculis ita
Studijs litaueris,
Ad Paridis Iudicium Nuda stetit Veneris
Elegantia, vt veluti pulchriori, sibi
Pomum aureum adiudicaretur,
Atque ad literati Orbis trutinam in
Gentilitio Pusione Sapientia tua,
Cum sine nauo nuda accedit;
Inde
Huius modo non destituta
Præmio.
Nam quid aliud cognomentum
del Manzano *Hispano sermone*
Quàm pomum præsefert?
At, si veluti in puerili ore, apud
Te versatur eloquentia, quam
Lactea!
E fascijs vix solutus
Vincta numeris tradens Orationi.
O egregium Poetam!

Inde

Inde tibi à Musis tam celelebris fama,
Familiares sane ille à crepundijs.
Accedo ad RAMVM.
Cur à Puero? Apud Peritos sententia
Est: consitas à tenella manu oleas, &
Fœliciores, & fœcundiores.
Tua cum innumera in literis pro-
merita, ex Palladio Arbore, sibi
Vendicent laureas
Infans suppeditabit:
Sic, auulso vno, non alter Ramus
Deficiet.
In hoc tibi gloria singularis;
Quia vel in Emblemate ramosa.
Hinc non pingui Minerua vilescunt;
Hinc pingui Minerua ramo clarescunt
Studia tua
Adeò in obsequijs oliua,
Num oleum in vigilijs perdidisti?
Pallas Athenis, Tu in Athenæo
Cum olea
Illa ad nomen imponendum; Tu ad gloriam
Augendam.
Quam iucunda in Academia tua ac-
ciderunt.

ciderunt literariæ velitationes.
Qui dum Rami ad opacitatem
Verè
Se vmbratiles esse profitebantur.
Quidquid disceptandum proponebas
ita ad ingenij prodigium,
Vt quæ theses, & thesauri.
Interim
Rami Virore, & Virtute animi
Spectandus
Omnes Accademicæ Reipublicæ
Gloriosas Prouincias asse-
quutus es.
Vnde te bibulis Auribus accepit
Schola primarium Iuris
interpretem.
Parerat à prima ætate studioso assuetus
Oneri;
Vt studioso primo quoque assuesceret
Honori.
Alium ad Eliseos Ramus; te verò ad
Æternitatem ducit.
Vt sapientiæ latices ex ore funderes, ad
perspicuitatem tranquillos

Illis

Illis
Cum oleo ſuo Palladius Ramus
Supernatat
Noachi, Doctrinæ
Columba, cultor
Cum Ramis:
At
Niſi pennis Columbæ ſimilis
Calamo ſaltem
Illa Diuinis imperatis in contumaces
Homines per vltorem imbrem
Volatu:
Tu à legitimo Rege in deficientes
Luſitanos per Arma ſcriptis
Volitas.
Ambo ad operoſam Pacem;
Sed tu non cum Martis lancea; ſed cum
Aſtrææ lance
E prælo in prælia.
Libello in Rebelles.
Atque ex tantillo opere; vt ex linea
Cognoſceris literatus Apelles.
Vt Grande Sophos, ſic grandia in lucem
Mox tua erunt volumina:

At

Ac Lucernam ſapient
Quibus
Ad nocturnas vigilias
Ex ramoſo, ac oliuifero tuo Stemmate
Oleum emungitur.
Iam à verorum prædicatione
Me tui Emblematis auocat
VERITAS.
Illa apud te magnis literis:
Tu maximis apud illam meritis,
Illa tibi in vittis culta;
Tu in infulis, qua Præſes
àb illa honoratus.
Quippe non in ſcholis; ſed in ſenatibus
Seneſcere te Virtus, & Veritas
Decreuerunt.
Quorum pellexiſti ad amorem fama
Aures;
Nunc imples præſentiâ oculos
Iam in publico pro Republica tuæ egregiæ
Partes:
Mediolani iam ærario Regio ſubſellia
Præſidentia te habent
Cenſorem.

Aureis

Aureis moribus, ac Doctrina Regalibus
facias thesauris pretium.
Sed inter vectigalia vectus mox
Ad maiora, cum eiusdem ærarij
Præses crearis.
Interim Regia te suspirat Aula:
Te Matritum manet
Hic tibi Puer quas tenet fascijs
Fasces multiplicare Sena-
torios videtur.
Ex Orientali Occiduam
Repetis Hesperiam, non vt occidat; sed
Vt hic inter nouas prouincias
Ad noua tua dignitas oria-
tur.
In Concilio de rebus Italicis
Duplici functus munere
Ad Senatum Regias de Iustitia Partes
Agentem traduceris.
In præsentia
Hic versaris
At laudatissimè præ manibus
Astrææ habes lancem;
Vnde non æqua lance adhuc

Trabeis cumularis.
Maiora
Merita pronunciant: Fata dabunt.
Intereà Consiliarius Selectus
Principem Ludouicum de Haro Pleni-
potentiarium Fontirabiam versus,
Inter Hispanos, & Gallos ad
Conuentum de Pace Europea
Sequeris.
Non ne fœdera sancienda erant
Si
RAMVS *prætendebatur Oliuæ?*
Quo in loco
O vere MANZANVS
Dum, Autumnali tempore fructus
Vberrimos Prudentiæ tuæ
Exonerasti.
Quanta apud Pyrenæos
Eruditionis ostentabas fastigia!
Quanta, cum Vidasone flumine,
Tuo ex ore
Ad Patriæ vtilitatem decurrebant
Oracula!
Quantis inter Optimates

Optimis

Optimis pollebas Consilijs:
Hæc, quæ Calamus breuibus exarat;
Prolixis laudibus veneretur
Posteritas.

ALVARO BASTANO,
Celeberrimo Marchioni S. CRVCIS, Imperatori Maritimo Inuictissimo,
ELOGIVM.

NEptunum affinxit Pelago Dominatorem:
At si ALVARVM BASTANVM
Oculis vsurpasset
Neptunum in pelago Dominatorem
Decantauisset Antiquitas
Non tridenti, sed triremi iura
Dantem.
Imperatorum nullus fœlicius, remis
Velisque ad gloriam contendit
Quà per irrequietos fluctus con-
stanti tenore Virtutem bellicam
Sortitus est tutelarem:
Qua per fœdas Oceani tempestates

Tranquillo vultu arridentem.
Fortunam amplexatus
Eſt.
Tunc iuremerito infidum
Maris ingenium vocitandum,
Cum non ſemel eo de Barbaris triumphante,
infido ſanguine
Imbuitur.
E mari Ortam Venerem Cantillabant
Poëtarum præſtigiæ
E Mari ad æternitatem Ortum Aluarum
rectius Fama pronunciabit.
Qui
Dextris Auibus, & Auris non ſemel
Victorias reportauit
Hoſtium quatuor potitum fuiſſe prætorijs
Satis conſtat
An ignota hæc facinora ſi pro
Inimicarum nauium roſtra
Celebrabuntur?
Supra duo millia maiorum
Tormentorum inter exuuias reportauit: vel hoc nomine,

In maritimis belli fulmen ;
Quòd
Tam copiosis fulminibus potius
Est.
Cui barbaræ applicuit plagæ, plagam
Inflixit
Quicquid magni suo æuo
Patratum est in pelago,
Vel suum est, vel cum suis
Auspicijs
Inferiori aliquando Nauium numero
(Vt apud Azores Insulas)
Prælium commisit ; sic, magis sua
Quam Militum virtus
Pugnare visa est.
Quis inter tot classium Impera-
tores : dum in sinu Corinthio
Omnes suas Christiana Respublica
Maritimas vires aduersus Cypri
Raptorem Turcam explicuit
In præsens suasit conuersum?
Huius tantummodo calculus pugnæ
Suffragatus est
Congrediuntur : penes Christi fideles

Stetit Victoria.
Sic pro Crucis sanctæ triumphis, atque
Ad lethiferam truculentorum
Hostium Crucem
SANCTAM CRVCEM
Se gessisse prædicandum.

R.P. ANDREÆ SALO HYBERNO,
Societatis IESV.

ELOGIVM.

Dignus Famâ, & familiâ Ignatianâ
Vir.
Hybernus patriâ, & Vernans literis.
Superasti Hæreseos, Pelagi, ac
Mortalitatis sæuientes
Procellas
In Religionis tutum
Sinum traductus.
Salò, Sales, Sapientiam
Cognomentum, Verba, Mens,
Promunt.
Patriæ calamitatibus, & Calamo notus.

A natalitijs oris, ore cum Nestoreo
Ad Hispanas Scholas accessisti:
Inseruisti etiam sacrâ Eloquentiâ rostris.
Et quod mirum
De Cælesti Patria non Patrio sermone
Sed Hispano elegantissimè
Peroranti.
Vere peregrinus sermo à Peregrino!
Ac dum te auribus vsurpo?
Quà desertatorem Scholasticum
Quà Cæli Oraculorum Interpretem:
Hinc me sagatum acuminibus
Armas;
Hinc me togatum diuinis
Legibus instruis.
Quod magis!
In tuis literis sine litura
Mores suspicio.
Desinis esse Ibernus, factus Iber:
Desinis esse Iber IESV *assecla*
Factus
Hoc cautum vt habeas
Volo:

S 4 *Te*

Te exemplo hamare
Quem mens amat
Calamus.

R. P. IOSEPHO MORETO, Soc. IESV.

ELOGIVM.

HAud mirum quod tibi Fama vocalis
Famulatur.
Cui
Inseruire calamo videris.
Illa tibi loquitur: Tu illi ad æternitatem.
Cum tam benè facta aliena
notes,
Omnis tibi de meliori nota commendatio
debetur.
Instituis exercitum, qui obsidione
Fontirabiam cinxit.
Non armatus gladio miles; stylo sed
Historicus:
Quo dum hinc inde vulnera inter
Hispanos, ac Francos

Recen

Recenses:
Tui nominis obliuionem confodis.
Ex te Hispanus, & Gallus Armatorum
Pollent acie:
At tu ab Hispano & Gallo ingenij
Polles acie!
Ille tibi argumento: Tu illi argumentosæ
Gloriæ:
Quam verò in scribendo rationem
adhibes?
Salustius tibi facem præfert.
Et non iniuria ad cædes concisus stylus.
Atque inter Mucrones acuminatæ
Sententiæ.
Te & suspicit natale solum Nauarra,
Atque in Historicum eligit.
Vitalis lucis, Typorum luce vicem
Repende Patriæ.
O caput, ex quo caput ex mendaciis
Erutus verus tuæ Gentis Heroïcus
Splendor habebit.
Vigiliis tuis vigebunt Vascones.
Quos dabis Annales, & certi lucem, &
Lucernam sapient.

Pompeopolis
Magnis à Magno Pompeo excitata
Menibus
Atque à te magnis vallata monumentis
O Fœlix
Quæ
In tuis Annalibus sine annorum
Periodo:
In tuis Poëticis floribus coronata
In Philosophicis tuis
Sapiens.
In Theologicis tuis pene Diuina:
Atque
In omnigina tua dote
Omnigena cumulata
Laude.

DOCTO

DOCTORI D. FRANCO RVIZ DE PALAZIOS,

In Spiritualibus, ac Temporalibus Vicario Generali Pompelonensis Antistitis,

ELOGIVM.

O In Vicario Pondere Alcides,
Si in te labor, laus quoque sit?
Doctrina robustus; onustus meritis
In hoc fulges, quia fulcis.
Dum
Recte per Sac. Canonum normam
Litigijs praes, sine litigio
Debentur praeconia.
Quod in te Sapientia aedificauerit sibi domum: PALATII *cognomen in*
Argumentum.

Et

Et quanta Architecturæ lege,
Si illius nobiliora, legalis
Præstitit eruditio.
Vnde
Tibi & Peruium, & ipsummet Astrææ Penetrale.
Haud dicam
Te è limine scientias salutauisse
Cum illarum ædes apud
Te excitatæ videantur.
Quæ in omnibus absolutæ
Nisi credas sine tecto
Cum mihi atque omnibus, virtus
Tua detecta sit.

ORACV

ORACVLA DIVINA,

EX TRIBVS PRIMIS GENESEOS CAPITIBVS, AD CHRISTIANAM Politicam expensa.

AVTHORE

D.D. DIDACO BENAVIDIO DE LA CVEVA;

Comite SANCTI STEPHANI, & Cocentainæ, &c. Prorege Nauarræ, &c.

A DD.

FRANCISCO MARCHIONE NAVARVM,

ET DD.

EMANVELE BENAVIDIIS,

Authoris filiis Typis data.

AD

ALEXANDRVM VII.

PONT. MAX.

AD LECTOREM,

FRANCISCVS, & EMMANVEL BENAVIDII *Authoris Filij*

S. P.

DAMVS tibi (CANDIDE LECTOR) quod in palimpſeſto de Præceptis Politicis in prima Geneſeos capita paternus dedit calamus. Subtraximus, quicquid illud eſt, tenebris; ſed non (vt fatemur) dicendi aſperſum luminibus. Quorſum? ſacrarum paginarum Lux ei facit pretium: & niſi verbis, veritate vernat. Satis aſſurgit, ſi in Deum ſtylus: Satis expolitur, ſi Politicam ſacris expixcatur: Satis vmbratilis exercitationis præcepta; ſi recta pro Principe documenta ſectatur. Inde iam tenes honeſtis nominibus illud formis mandari. Atqui aliunde etiam cudendi nobis anſa præbetur. Quæ Parentis noſtri Proloquium ad Deum Opt. Max. in propatulo collocat, hoc eſt: *Solum apud ſacra Oracula germanæ Politicæ paleſtram.*

palestram, Bibliorum ventitatum esse ad cortinam, vt responsa in dubia moderatione reportarentur. Liberorum institutionem. Hæc sanè ipsissima, vt innotescant, sunt quorum suasu à nobis ad prælum opus dilabitur. Porrò quod eius ori solemne est, etiam in praxim adesse reuocatum satis constare tibi debet. *Super senes intellexi; quia mandata tua exquisiui* ille, cum Regio Vate, dictitat. Quod exquirat, an te præterit, si in Diuinis monumentis calamum eius politicum, præ manibus habes operosum? Tandem vel hoc titulo dignandas crede istas Elucubrationes; vt periculo certissimo comprobetur ad omnigenum saporem Diuinæ verba scripturæ enucleari; vnde & ad Politicam; atque id facili negotio, si tali muneri sagatus par sit, qui è limine successiuis tantum horis sacros Interpretes [illegible]ditat. Hoc cum habeas cautum, etiam ex istius operis limine te salutamus, LECTOR, & VALE.

AD

AD

DEVM OPT. MAX.

AVTHORIS PROLOQVIVM.

TIBI SVMME DEVS, ad quem agendorum conſilia emendicaturus accedo, opuſculi iſtius mei concilium aperio. Placuit numini tuo, à quo omnis poteſtas ſiue in cælo, ſiue in terra, vt Princeps meus famulus tuus pius, Catholicus, regendarum terrarum nonnullam in me curam transferret. Cupiebam ſic regere, vt tibi, illíque fidelis exiſterem, nec populis iniquus. Conſideraui prophanæ politicæ, quæ mundum malè habuit vias; conſilia eorum qui ſuæ ſapientiæ fidunt; tuam negligunt; pietatem aſpernantur, & merum fumum vidi, Aranearum telas, operoſas illas, & quæ opifices excedant; Sed inanes, & quæ tenui habitu, nutu tuo diſſlari ſu-

Sap. 95. v. 14. ſtineant. *Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ.* Ideò verò incertæ, & lubricæ; quia timidæ, quâ non

Pſal. 13. opportebat: *Illic trepidauerunt timore vbi non erat timor.* Se inuicem timentes homunciones imbecilli; inuicem, per fucum, & dolos capientes, technas anxiè ſtruentes, quæ nec ventum arceant; nec niſi muſcas capiant: te interim ſpreto, vno Moderatore potentiſſimo, maximo, & ſummè verendo. Sed quam iuſtam vicem pœrependeris, quam æquam inſaniæ ſuæ pœnam dederint affatim prædicant perditiſſimorum capitum funeſtæ clades circumquaque ſtrepentes. Et ne inſanire pergant, age, reſponde *Potens Deus:* Impietatis ſcholam malè perde: *decidant à cogitationibus ſuis, ſecundum multitudinem impietatum eorum expelle eos,* qui cæleſtem ſapientiam tuam, veram, ſolidam, terreſtri, fictili, fallaci poſtpoſuerunt, *qui te dere-*

Ierem. 2. 12. *liquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas quæ continere non valent aquas;* Ita relegata hominum lue, Numinis

nius immemori, pietatis vacua ſcientia, ideſt, ſuperba inſcitia, germinabit, florebítque humilium tibi mentium ſapientia: nam, *mulctato peſtilente, ſapientior erit paruulus.* Audiant vecordes durum illud tuum, dirúmque: *væ filij deſertores, vt faceretis conſilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum, vt adderetis peccatum ſuper peccatum, qui ambulatis, vt deſcendatis in Ægyptum, & os meum non interrogaſtis, ſperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Ægypti in ignominiam.*

Prouerb. 21. 11.

Iſai. 30. 1.

Auerte Deus, omen, vt in me hæc dicta audiam. Sanè, ne audire contingat ſtatui faſtidire ſordida Ægypti edulia, rudes porros, allia fœtentia; vnum à te cælitùs demiſſum manna eſurire. Pharaonis durum, deuiúmque Imperij ritum auerſari, tuum ſuaue, ſanctúmque ſuſpicere. Prophanam impiorum philoſophiam, nigra dogmata aſpernari.. *Propoſui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius.* Ergo ſucceſiuis horis, quibus mihi va-

Sap. 10.

care concederet onus impoſitum, vt mihi rectè vacem, & benè conſulam, ſtatui tibi vacare, legem tuam meditari, opera contemplari, quomodo mundum iſtum ſpectabilem feceris, gubernaueríſque. Calamum etiam adhibui, non vt commentatorem agam (quod meum non eſt) ſed vt vſui, & inſtitutò meo aptiora ſeponam, & ſepoſita firmiùs menti inſcribam, vt liberos, quos mihi largitus es, & literis, quibus te noſcant imbuere cupio: his etiam literis, manu ducam ad tua opera contemplanda, & obſeruanda. Adijeci ex varia etiam humaniori literatura ſuppetias his meditationibus meis, vt ex his, quæ florentiori ætate amœnitarem collegi, ea demùm cordi altius figam, & ſeruem, quæ vtilitatem parerent, quæ ad paginæ tuæ ſacræ trutinam libratæ honeſtatem probarent, pretiúmque caperent. Nam, *& ſi quis fuerit conſummatus inter filios hominum, ſi ab illo abſuerit ſapientia tua, in nihilum computabitur*

Sap. 9. 6.

En quorum elucubratiunculæ meæ. Tu, Domi

Domine, totius boni conſilij ſeminator, qui dediſti hæc velle, dabis, & perficere. Multum quidem dediſti, ſumméque optandum, deſiderium tribuens te adeundi, tibique placendi. Hoc quoniam tibi gratum, mihi iucundum. Hæc, quoniam præceptorum tuorum ſumma. Nimirum bonorum meorum non eges, voluntatem tantum bonam exigis, ita verò exigis, vt ipſe conferas. Collatam mihi gratulor, tibi acceptam refero: grato, lætóque corde, & ore pſallam tibi: *Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.* Hoc gaudium meum placidiſſimum, inter vallis iſtius ærumnoſæ mœrores; hoc ſcutum validiſſimum aduerſus trepidæ conſcientiæ terrores: hæc etiam corona vnicè ambienda, quod bonam voluntatem, pacis tecum nuntiam ad me miſeris. Et quoniam opera tua, donáque perfecta ſunt, ſubeſt ſperare, quod vota fruſtranda non ſuggeris. Dediſti voluntatem ſpernendi vanam, & falsã pſeudopoliticorum ſcientiam à te vno quærendi præcepta vitæ, & diſciplinæ. Di-

Pſal. 5. 3.

eam fideliter: *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum.* Cor docile, inquam iuxta vias tuas, quo à te mundi conditore, & Rectore optimo, maximo agendi, regendíque præcepta salutaria discam. Et quoniam sapientiam petere vt oportet, ne dum assequi; nisi per te non valemus, eam ego petens ipsius sapientiæ tuæ verbis his orationem claudam: *Deus Patrum meorum, & Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua constituisti hominem, vt dominaretur creaturæ, quæ à te facta est, vt disponat Orbem terrarum in æquitate, & iustitia, & in directione cordis iudicium iudicet: da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam.*

Sap. 9. v. 1.

CAP.

CAP. PRIMVM.

EX CAPITE I. GENESEOS aliqua Diuina Oracula ad Politicam expensa.

§. I.

Principis indulgentiam, atque munificentiam in cunctos gloriosissimum esse simul, & auspicatissimum Principatus exordium.

IN *principio creauit Deus Cœlum, & terram.* O sanè pulchrum, & Numine dignum Principatus ingressum! profusa in vniuersos munificentia, cœli, terræque extructio; immensi largitatis suæ thesauri in summos pariter, ac imos erogatio. Adesto Principes, quibus Numinum instar hominibus præesse contigit; à

Genes. vers. 1.

Numine sumito regiminis normam. Si Dei imagines, adeóque si Principes esse cupitis, benefici estote. Quippe sanè nec Deus hoc nominis, atque dignitatis obtineret, ni beneficus existeret. *Nam cum sit bonus* (inquit Alexandrinus Clemens) *si cessasset vnquam benefacere, Deus quidem cessabit esse.* Hinc ethymologiarum obseruatoribus persuasum, Deum à *dando* nomen accepisse; quasi largiendi decus sit præcipua Diuinitatis tessera. Vt proinde opportunè satis Regulus ille scytha apud Q. Curtium Alexandrum redarguerit, eius regnum hostiliter inuadentem, non alio nomine, quàm quod Deum se esse diceret.. *Si Deus es* (inquit Scytha) *tribuere beneficia debes, non sua ab hominibus eripere.* Scilicet ita est cum Numinis indole beneficentia coniuncta, vt altera sine alia consistere nequeat, ac ne intelligi quidem valeat.

Clem. Alex. lib. 6. Strommat.

Io. Fur. gr. Etymolog Ver. Deus.

Ea verò est Principum conditio, & quidem summa gloria, probata scilicet cum Numine cognatio, idem maiestatis symbolum, quædam benefaciendi necessitas. Præclarè id expressit Ouidius Augustum alloquens in hæc verba.

Ouid. l. 1. Pont. Elog. 9.

Regia crede mihi res est succurrere lapsis.
Cónuenit & tanto quantus es ipse viro.
Hoc tecum commune Dÿs, quod vtriq; rogati.
Supplicibus vestris ferre soletis opem.

Hinc

Hinc ſéneca Principem illuſtri nomine: *beneficum ſidus* appellat. *Peſtifera*, inquit, *vis eſt valere ad nocendum, illius demùm magnitudo ſtabilis fundataque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quàm pro ſe ſciunt, quo procedente, non tanquam malum aliquod, aut noxium animal è cubili proſilire diffugiunt; ſed tanquam ad clarum, & beneficium ſydus certatim aduolant.* Sed & Chriſtus dominus ex gentium omnium conſuetudine dictum id eſſe teſtatur apud Lucam aiens: *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos benefici vocantur.* Præclarè igitur Deus opt. max. totius Principatus norma, atque origo initium Dominationis ab illuſtri magnificentia ſumpſit, vt deinceps liqueat eum duntaxat legitimum eſſe Principem, atque à Deo conſtitutum, qui beneficentiæ primam, præcipuamque curam impenderit. Quare ſcitè dixit chilenſis ille Præſul in lib. iudicum: *tunc Principem populi Dominum eſſe, cum beneficus fuerit; & illum à Deo eſſe, qui liberalis exiſtit.* Non enim vlla alia re æquè Deo ſimilis, atque ad Dei nutum compoſitus videri poteſt Princeps, quàm ſi ſe liberalem, & beneficum exhibeat. Extat apud Elianum Pythagoræ dictum aientis duabus omnino rebus homines cum Dijs poſſe contendere, iiſque ſimillimos reddi quippè veritate, & beneficentia.

Senec. lib. 1. de Clemét.

Luc 22. 25.

Episcop. Chilens. in Iudic. pag. 328.

Elian. de var. Hiſt. lib. 12.

§. II.

§. II.

Liberalitas Principi non modò honesta; sed etiam vtilis, & necessaria est.

NEque verò vtile minus, quàm gloriosum est Principi se liberalem, & beneficum exhibere; non alia arte melius stabiliet, augebítque imperium. Testis adest ipsa Dei sapientia: *Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes spatium ei facit.* Ea nimirum est humanæ mentis conditio, vt quæ ratione, quæ vi, quæ iure diuino pariter, ac humano contineri nequeat, eadem in benefacientem sibi rebellis, aut infida esse nesciat. Audi castum Iosephum heræ ad flagitiosam libidinem pellicienti repugnantem: quibus eam argumentis repellit. An quia id turpe, iniustum, diuinis, humanísque legibus aduersum? vtique ob ea omnia, & eorum quodlibet scelus horreret sanctissimus Iuuenis. Sed tamen his omnibus prætermissis causis, vnam Domini sui munificentiam commemorat, atque ceu inexpugnabile scutum perfidæ obijcit: *Ecce,* inquit, *Dominus meus omnibus mihi tradidit, ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod non in mea sit potestate; vel non tradidit mihi,*

Prouer. 28.

mihi, præter te, quæ vxor eius es, quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in dominum meum? ijſdemque omnino verbis impudicam fœminam eadem in dies ſuggerentem retundebat. Pende illa: *Quomodo ego poſſum,&* quaſi beneficia accepta eum manibus, pedibus, corpore pariter, & animo toto vinctum tenuerint, ne in benedificum herum ſceleratus eſſe aut valeat, aut velit.

His habes quemadmodum munificentia imperium ſtabiliat, ſubditos in fide,& officio contineat. Accipe quomodo eadem regna dilatare, conquirereque ſceptra conſueuerit. Vrbem Ieroſolymam obſidebat Rex Antiochus, cum Paſchate accedente, Iudæi, quibus mos erat ſolemniſſimo ritu feſtum illud excipere, ſeptem dierum inducias ſuppliciter orarunt, quibus ſemoto armorum tumultu conſuetæ celebritati vacare liceret. Annuit Antiochus, nec modo annorum interſtitia conceſſit; ſed & plurimos tauros deauratis cornibus conſpicuos inſtituendis ſacrificijs miſit: magnam etiam vim aromatum ad templi cultum,nec non & cibariorum ad ſubleuandã obſeſſorum inediam, rarò vtique bellantibus conſilio quod tamen Antiocho proſperè ceſſit; cuius liberalitatem admirati Iudæi (inquit narrator Plutarchus) *ſtatim poſt feſtum ſe ipſos tradiderunt*. Ita fortiſſima mœnia, quæ nulli arietes

Plut. in Apoch. Reg.

arietes concutere, nulla belli tormenta labefactare, nulla militum vis scandere valeret, vna munificentia expugnat, quàm scitè Diuinum Prouerbium. *Victoriam, & honorem acquirit qui dat munera, animam autem aufert accipientium.*

Prouer. 22.

Non hæc latebant Augustum Cæsarem firmandi imperij calidissimum magistrum, non minus quàm eiusdem conquirendi fortissimum bellatorem, qui nimirum, referente Cornelio Tacito, tum demùm optata Imperij tranquillitate, & firmitudine, ciuium, ac Prouinciarum beneuolentia, denique rerum potestate, ac fœlicitate potitus est: *vti militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otij pellexit.* Discant itaque tandem Principes hanc vnam esse stabilendi Principatus sui rationem clementiam, ac munificentiam in ciues. Nimirum celsum quidpiam, ac nobile est cor humanum, quod vi, ac minis scandi nequit, vno amore, & beneficentia expugnari, continerique valet.

Cornel. Tacit. lib. 1. an.

Hinc Polybius Aristotelem sequutus Regem à Tyranno disterminat, non quod alter iure hæreditatis, alter vi, & armis Regnum inuadat: sed quod Tyranni subditos minis, pœnis, bonorum expilationibus vexant: *Reges verò contra benefaciendo vniuersis cum liberalitate atque clementia sponte subiectos gubernat, & in*

Polyb. lib. 5. Histor.

in mutua ſemper beneuolentia cum ſubditis viuunt hoc nimirum eſt, verè Principem eſſe: ideſt Parentem, Tutorémque Patriæ.

§. III.

Principis liberalitas non ex alienis, ſed ex proprijs bonis exhiberi debent.

CReauit Deus cælum, & Terram. Quàm bonus Deus in omnibus operibus ſuis? quàm in diuitijs nobilis, non eas alijs ſubripit, vt in alios conferat ex ſuo pœnu cuncta quæ largitur depromit: *creauit cælum, & terram.* Pende emphaſim verbi, *creauit*, ſcilicet ex nihilo fecit. Ita vera, & apud Orthodoxos conſtans philoſophia. Faceſſant veterum inſomnia ex atomis,& Chao, puto neſciunt ipſi quo mundum coalviſſe mentientium. Sed phyſica iſta vocis ſpeculatio Ethicæ deſeruiat. Fecit itaque Deus cœlum atque terram, non vt cumque ſed *creauit*; non ex atomorum coagulatione, vt ineptiebant Epicurei, non emendicatis aliunde ſubſidijs aliquibus, ſed ex ipſis Nihili tenebris, imò ſanè ex ditiſſimo bonitatis, & ſapientiæ ſuæ ærario. O pulchra, & verè Regia liberalitatis, & munificentiæ norma! conferre non transferre munera; ſua, non aliena,

Geneſ. 1. verſ. 1.

aliena, largiri adeóque verè largiri. Qui enim ab alio rapit, vt alteri tribuat, non tam largitur, quàm furatur. Supernatat quod deterius. Malum ex quocumque defectu, etiam vbi aliquid boni. Quid vbi totum prauum, atque peruersum? An verò quidpiam boni inesse dicas largitioni ex alienis bonis factæ quæ per vim fraudémque rapueris? quid enim, quod ea rapueris præclarum? an quod in alium deinde conferas? imò sanè, & hoc alterum flagitium gloriam ex scelere venari.

O quantum aberratis à vera gloria Principes, qui vt in vestros amicos, & familiares magnifici, & munifici videamini, ciues deglubitis, templa spoliatis, diuina, humanaque iura euertitis? quàm vos indecori, qui ita largimini? quanta infamia inusti, qui accipiunt. Hic ego te compello, Traiane Cæsar Hispaniæ genitricis decus, Regum, qui Christum fatentur pudor. Ita de illo Plinius: *nihil magis in tua liberalitate laudauerim, quàm quod congiarium das de tuo, alimenta de tuo, neque à te liberi ciuium, vt ferarum catuli sanguine, & cædibus nutriuntur; quodque gratissimum est accipienti, sciunt dare, quod nemini est arreptum.* En præclarè laudatam Principis munificentiam, nec segnius perstrictos, *qui vt ferarum catuli sanguine, & cædibus nutriuntur*, munificentiæ genere tribuenti pariter, ac recipienti probo

Plin. in Panegy.

proboſo ferarum more alere, & ali; plures miſeros facere, vt aliquos ditiores reddas; diras imprecationes, iuſtiſſimas ciuium querelas in te commouere, vt palponum blandimenta nutrias; immanis bellua, non magnificus Princeps inde dicendus.

Suboluiſſe videtur Iacob in Beniaminica ſtirpe indolem huiuſmodi dum ait: *Beniamin lupus rapax mane comedit prædam* (vbi ſixtianæ Bibliæ ſcholium) *rapiet prædam, vt veſpere diuidet ſpolia.* Quid vno lupi rapacis nomine, non item munifici largitoris inſigniendus, qui quæ rapuit ab alijs in alios ſplendidè prodidit? ita prorſus, nec enim qui aliena rapit, quantumuis ea in alios impertiat, liberalis inde, ſed prædo: non magnificus Princeps, ſed lupus rapax dicendus venit. Poſtulat nempe æquum atque ius, ne aliena rapias; exigit inſuper liberalitas, vt tua largiaris. Ita egiſſe, ita ſenſiſſe Ageſilaum perhibet Xenophon: *Cenſebat enim iuſto quidem homini ſatis eſſe ab alienis abſtinere, liberalem autem decere, ſua etiam ad vtilitatem hominum conferre.*

Gen. 49. 26.

Xenoph. orat. de laudib. Ageſilai.

Conſtituerat Aſſuerus Rex nuptias ſuas cum Eſthere celebrare ſplendido conuiuio, & Regijs muneribus in Regni proceres collatis. Sed audi, quomodo rem deſcribat textus ſacer: *Et dedit requiem vniuerſis Prouincijs, ac dona largitus eſt iuxta munificentiam principalem*

Eſther. 2. 18.

lem. Quibus verò dona largitus eſt? vtique amicis, & familiaribus, ideſt clarioribus Regni proceribus, ac vt his munera largiretur, *requiem dedit Prouincijs.* Sed quæ requies iſta? vatablus; *minuit tributa prouinciarum.* Proh verè Regiam munificentiam, vt nuptialia gaudia inſtituat, vt aulam exhilaret, vt amicos exornet, vt ſe magnificum oſtendat, non vectigalia vectigalibus imponit, ſed potius iam impoſita minuit, ne collata in proceres munera, ſpolia miſerorum eſſe viderentur, accipientibus pudibunda, & largienti fera, atque iniqua. Sua itaque, non aliena erogauit, vt erogaret ciues leuauit, non oppreſſit, vtique *iuxta munificentiam principalem*: vt pulchrè deſignauit ſacer Textus. Hoc enim principum eſt, ferarum illud, ex publicis luctibus domeſtica fercula parare, ex cruentis populi exuuijs ſe, ſuóſque aulicos depaſcere.

§ IV.

Pulcherrimum Principis ornamentum, & præſtantiſſimum Numinis donum eſſe ſapientiam.

Gen. 1. ver. 3.

ET *dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux, & vidit Deus lucem quod eſſet bona.* Magnam ſan-

ſanè Deus munificentiam exhibuit in cæli, terræque creatione; ſed non omnem exeruit. Extraxit ea ex nihili ergaſtulo ad hanc rerum aulam; ſed nondum ſuis ornamentis decorata. Nondum ſideribus cælum ſplendebat; *terra autem erat inanis, & vacua; & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Sed cur ita? an quia auarus, aut inuidus Deus noluit omnia quæ po uit illicò lagiri? abſit. Imò, quia largiendo delectatur, nec capit rerum creatarum ſinus mun ficentiæ ſuæ diuitias, ſpatium voluptati facere voluiſſe diceres ſenſim largiendo, ni malis ideò ornamentis nuda hæc cælorum, terræque corpora condidiſſe, ne putent ſua ipſorum eſſe non gratuita Numinis dona, quæ habent, ſi primâ origine cum ipſis ſimul prodijſſent. Signanter itaque Moyſes terram ſuperbiæ, & ingratitudini pronam primæuæ ſuæ inopiæ, & obſcuritatis commonet aiens: *terra autem erat inanis, & vacua &c.*

Verſ. 2.

Sed age diſpiciamus, quo ordine imperium ſuum, & hanc ſpectabilium rerum molem ornare aggreditur ſummus Princeps: lucem ornamentorum mundi primum præcipuúmque edit, editámque collaudat: *Dixitque Deus fiat lux, & facta eſt lux, & vidit Deus lucem, quod eſſet bona.* O planè nobilem creaturam, quæ inter cæteras omnes orbem illuſtrantes primatem obtinuit, ipſum Deum, primaque encomiaſtem

comiastem habuit? quid ni verò? neque enim quidpiam aliud luce pulchrius; neque eorum, quæ pulchra, aut præstantia habentur quiduis absque lucis beneficio valet suo siue decore, siue pretio frui. Ideò ait Damascenus: *In principio Deus fecit lucem, idest, prima die pulchritudinem & ornamentum omnis visibilis creaturæ aufer enim lucem, & omnia in tenebris ignota manebunt proprium non valentia demonstrare decorem.* Meritó igitur lucem condere festinauit summus Artifex, sine qua videlicet alia ipsius opera vilescerent, & quidem hanc vnam lucis editæ causam assignat Author libri Esdræ in c. 6. ita enim hanc respiciens ait: *tunc dixisti de thesauris tuis proferri lumen luminosum, quo appareret opus tuum.* Adeò fuit, & conditori gloriosa, & rebus conditis necessaria lucis productio.

Damasc. lib. 2. de fide ortod. c. 7.

Proh egregiam Principis institutionem, vt sapientiam (quæ vera lux est) rebus omnibus anteponat; cunctis suis operibus præficiat; ipso regiminis lumine studiosè exerat; si faustum, si illustrem sibi contingere principatum velit. Et verò per lucem tropologicè designari sapientïam quis ignoret, ipsa luce clarius, id est. Equidem sapientiam postulabat Regius vates dum orabat: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* Sed & ipsa dei sapientia Christus

Psalm. 42.

Chriſtus Dominus ſe lucem appellat: *Ego ſum*, inquit, *lux mundi.*

Ioan. 8. 12.

Ergo cum Deus inter mundi ornamenta prima luci conceſſerit, an non diſertè monuit, nullum eſſe principe dignius, aut regno vtilius donum, quàm ſapientia: Ita ſanè, ipſa Dei ſapientia incorruptum de ſe iudicium ferente in hæc verba: *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.* Non tantopere Principem iuuant ad tuendum, augendumque imperium immenſi exercitus, & extructæ claſſes; non ad regendum prolixa conſiliariorum ſubſellia, quantum menti altè inſidens ſapientiæ decus. Illa vim, fraudemque vno prouidæ cogitationis ictu diſpellit, aut cauet, quam totus armorum ſtrepitus poſt multa, & grauia ciuibus ſtipendia propulſare nequiſſet. Illa lites, quas tribunalium Myſtæ intricare frequentius, quam extricare ſolent dirimit, atque componit. Illa etiam iuſtitiam exhibet, quam plerique Iudices vario legum velamine obnubilant, & pro cuiuſque ſtudio in partes diſtorquent; diſtorquere verò non auderent, ſi in vigilantis ſibi Principis comendatam, intaminatámque ſapientiam extimeſcerent.

Prou. 28.

Hinc Regum ſapientiſſimus Salomon à Deo iuſſus, vt quæ vellet fidenter poſtularet, vnam ſapientiam petijt. Sapientis vtique poſtula-

tio, vt pote, qui nouerat quidquid ornamenti, voluptatis, atque potentiæ postulare valuisset in vna sapientia claudi, quod aptè Horatius ad Mecænatem scribens indicauit.

Horat. lib. 1. epist. 2.

Ad summam sapiens vno minor est Ioue, diues.
Liber, honoratus pulcher, Rex denique Regum?

3.Reg.3.

Atque exploratiùs habuit Salamon. Placuit enim adeò Numini eius postulatio, vt non modò sapientem præ omnibus mortalibus, sed & regni splendore, atque opulentia conspicuum reddiderit. Postquam votis sapientiam optantis annuisset subiunxit; *sed & hæc quæ non postulasti dedi tibi diuitias scilicet, & gloriam, vt nemo fuerit similis tibi in regibus cunctis retrò diebus.* Proh Deum immortalem! Si Regum splendori, atque Potentiæ sapientiæ lumen accedat quas diuitias, quam gloriam non assequantur? quæ facinorum miracula non edant? quàm beatam efficiant Regnorum faciem.

Plato dial. 5. de Reipub.

Tritum est illud, sed præclarum, & nunquam satis laudatum apud sapientes, Platonis dictum nempe: *Principi non aliter esse necessariam sapientiam, quàm corpori animam: beatissimasque fore respublicas, vbi aut Philosophi dominarentur aut saltem qui gubernant diuina quadam sorte philosopharentur.* Quid significantius? ipsam nimirum Principis animam esse sapientiam; eandem esse totam Reip. beatitudinem

nem. Qui eâ careat non Principem eſſe, ſed cadauer, Latuámque Principis, & Reipub. peſtem. Eiuſdem fuit ſententiæ Socrates, quem laudat, & ſequitur Xenophon aiens: *Non illos Reges, & Principes, qui ſceptra gerunt, (dicebat Socrates) neque illos, qui aut à quocumque contigit electi, aut ſorte, aut violentia, aut deceptione aſſumpti fuerint, ſed qui regere ſciant.* Ita apud ſapientes, & indefæcatos Iudices, non alia Principis teſſera, quàm ſapientia: vnis fatuis, aut aſſentatoribus alia nomina Principem venditauerint.

Xenoph. lib. 3. de dictis, & factis Socratis

Nouerat hæc Macedonum Rex Philippus, qui cum ei Alexander filius naſceretur, ita ad Ariſtotelem lætus ſcripſit: *filium mihi natum ſcito, quod equidem Dijs habeo gratiam: non proinde, quia natus eſt, quam pro eo, quod cum naſci contigerit temporibus vitæ tuæ: ſpero enim fore, vt edoctus eruditusque abs te dignus exiſtat & nobis, & rerum iſtarum ſucceſſione.* Præclara ſanè, & Principe digna vox, non tam de prole orta, quàm de ſpe oblata virtutis ipſius lætatur. Iam verò ſpem, totamque Principis pueri fælicitatem, atque dignitatem ex ſapientia ab excellentiſſimo præceptore in eum deriuanda concipit. Neque verò id perfunctoriè tantum, ac ad ſpeciem ſcripſit Philippus; verùm ſeriò, & opere exhibuit, filium à teneris eâ ſententiâ imbuens, crebròque monens,

Aul. Gell. lib. 9. cap. 3.

vt quo ſtudio cauere vellet innumeras in quæ ipſe ob ſcientiæ inopiam,inciderat incommoda, eodem frueretur auidè beneficio optimi inſtitutoris cæl tùs conceſſi.

Iuſtin. lib 12. Hiſto-riam.

Paruitque adeò genitoris conſilio Magnus Alexander, vt perhibeat Iuſtinus totum quinquinquennium poſt exactam pueritiam acerrimis literarum ſtudijs ſub Ariſtotele impendiſſe. Nec degenerem ſe tanti Præceptoris alumnum exhibuit, quod ſatis orbi notum, ſed nec ingratum: nempe vt parentem perpetuò coluit,ni etiam impenſius, crebra nimirum ipſius vox erat: *Parentis ſe beneficio viuere: Magiſtri verò benè viuere.* Adderem ego, eiuſdem magiſtri,ſapientiæque ab eo acceptæ munere, regnaſſe etiam benè, latè,atque feliciter. Nec tam robori Alexandri, quàm ſapientiæ ipſius tribuerim quòd orbem domauerit. Quod enim vnius hominis, aut etiam Myriadum robur id aſſequutus fuiſſet? vnius ergo ſapientiæ opus extitit. Vna illa Regna conquirere, tueri, regere nouit. Ac ne temerè dictum arbitreris audi loquentem fallere neſciam, aut falli, Dei ſapientiam: *Si delectamini ſedibus, & ſceptris ô Reges populi diligite ſapientiam, vt in perpetuum regnetis.* Quam pulchra, & grata Principibus ſapientiæ commendatio.

Plutar. in vita Alex. Sap. 6.

§.V.

§ V.

Principum ratione sui muneris, præ cæteris mortalibus interest sapientiâ præstare.

EX diuinis, humanísque literis abundè testatum, hucusque videtur quantum Principibus ornamenti, quantum gloriæ Sapientiæ addat, sed quoniam tanti ponderis res est, inualuitque dudum apud plerosque Principum teterrima, atque perniciossima opinio illa, vt scilicet sapientiam laudent, sibi tamen non perinde necessariam arbitrentur, certè infra eorum dignitatem esse, vt eius studio tantopere indulgeant. Age apertiùs rem demonstremus, ipsaque rationis face ostendamus, Principem si quem alium ex hominibus decere, & etiam oportere quàm accuratissimè satagere, vt multiplicis sapientiæ splendore fulgeat.

Rogo itaque, ec quod demum est principum munus? vtique homines regere, & in officio continere. Proh difficilem prouinciam, & longè difficiliorem, quàm quæ tygres, vrsos, leonesque regendos haberet? Imbecillum quidem, ac miserum animal est homo (id non luero inficias) temporis spolium; for-

tunæ ludus; calamitatum argumentum; mutationis simulacrum, inuidiæ, & ærumnarum prouincia; pituitæ, bilis, pulueris globulus. Sed tamen superbum, varium, irrequietum. Quàm in voluptatem lubrici pueri! quàm in iras, atque libidines proiecti iuuenes! quàm sui admiratores, tenacesque iudicij senes! quàm in ætate quauis alij, ab alijs discordes! sed & idem à se ipso quàm facile, crebròque recedat, vt ad huius vnius animalis constructionem turbam quandam facultatum miscellaneam, & omniformem coaluisse dicas, monstrúmque Hydra prodigiosius & pluribus capitibus præditum appareat. Vnde scientiarum omnium difficillimam esse hominum gubernationem meritò existimauit Nazianzenus. *Nam profectò*, inquit ille, *ars quædam artium, & scientiarum esse mihi videtur hominem regere, animal maximè varium, & multiplex.* Benè sanè, & aptè omninò artem artium hanc appellat, cum enim varij homines varijs polleant artibus, & doli dolos superstruere nofcant, ni múltiplici etiam arte, ac disciplina ornetur Princeps, quî valebit fraudes & deceptacula passim instructa cauere, vel auertere. Sapientissima proindè, ac prorsus legitimè deducta fuit illa Nazianzeni ex verbis suis mox laudata consequutio: *Qui ergo huiusmodi belluæ curam susceperit, eum varia omnino, &*

Naz. in orat. 1. Apolog.

& multiplici scientia ornatum esse oportet. En ipsum nostrum scopum, quem elucidare argumento isto sumus aggressi, Nazianzeni calculo i lustratum.

Præterea ipsa parens omnium natura huius rei præclarum documentum exhibet. An non cernis humani corporis caput præ reliquis membris abundare sensibus, imò omnes complecti, cum alia vno sint contenta? cur ita? sane, quia caput inter cætera membra principatum obtinet, iisque moderari habet. Monuit scilicet his rectrix optima natura, vt in corpore isthoc Politico Princeps, qui Reipub. Caput est præ omnibus satagat rerum cognitione, & sapientia præstare.

Insuper Principis est leges condere, conditasque tueri, atque asserere à subdolis cauillatorum technis, ne sub legum larua proiectissima dominetur nequitia, vt non rarò euenit, nec tamen eueniret si fraudulenti homines inuigilantis principis oculatam timerent sapientiam. Hinc electurus Deus consiliarios, & Principes, qui cum Moysi Rempub. administrarent, seuocauit ex omnibus septuaginta viros sapientes, & magistros. Sed audi quam eius rei causam assignauerit Abulensis. *Quia si viderent illos ante indoctos, & rudes scandalizarentur, illosque contemptui haberent.* Scandalum, & contemptus populo est Princeps rudis,

Abul. in 11. quæst. 35.

dis, & indoctus, contra reuerentiam, sibi, suisque decretis conciliat sapiens. Neque certè nisi sapientissimi hominis opus est, leges tum stabiles, tum temperatas pro rerum opportunitate condere, conditaque tueri, & illustrare, quod tamen præcipuum Principis, maximoque proprium opus est.

Denique quod in vrbe medicus, quod in Naui est Nauclerus, hoc in Repub. Princeps, vt est Platonis, Plutarchi, & aliorum aptissima comparatio. Quis autem nisi mentis inops, aut sanè pertesus vitæ eam committant imperito medico, qui pro salutari pharmaco lethiferum fortè admoueat? Quis suam nauim regendam fidat rudi, & imperito nautæ? equidem scientissimum oportet esse medicum, à cuius scilicet errore, non leuiùs quàm vitæ damnum proueniat: peritissimum Nauclerum, ne in vadosa loca, infamesue scopulos impingens, sibi vectoribusque, excitium pariat. Ita prorsus satagendum Principi, qui medici, atque Naucleri onus substinet, vt eximia sapientia rerumque cognitione polleat; ne sibi reique publicæ sit exitio, vt merito proinde ex annotato Dei operum initio censeri debeat, primum atque præstantissimum, & maximè necessarium Principis ornamentum esse sapientiam.

§. VI.

§. VI.

Dictorum fides magnum, & pernecessarium Principis decus.

D*Ixitque Deus fiat lux, & facta est lux:* nihil antiquius Deo, quàm veritatis amor, & operatorius ſermo. Polliceri, & non præſtare labes eſt longè à Numine relegata, dicto citius quæ loquitur, exequitur: Verba ipſius non tam pollicentur opera quàm ipſa ſunt opera: nec ipſe minus ipſa veritas, quàm verax. Sanè ita deſe teſtatur Dei filius veriſſimuſque Deus Chriſtus Dominus Ioan. 14. aiens: *Ego ſum via, veritas, & vita* Multiplicique ſacræ hiſtoriæ teſtimonio conſignatum voluit in primo Geneſeos capite hoc ſuum veritatis, promiſſioniſque adimplendæ ſtudium. *Dixitque Deus fiat lux, & facta eſt lux:* ſimilique ratione pòſt recenſita Numinis verba, de cæterorum dierum operibus illicò ſubiungitur factum eſſe, quod dixerat. Et his inſtruente Principes ſummo Moderatore: eorum maximè intereſſe dictorum fidem, ne ſint donis largiora promiſſa: ne opera à ſermone diſſideant.

Gen. 1. verſ. 3.

Ioan. 14.

Interrogatus Demoſthenes quid Deo ſimi-

le

Elian. lib. 22. de varia Hist.

le haberent homines? respondit: *Benignè facere, & veritatem amare.* In eandem sententiam locutum esse Pythagoram his testatur Elianus: *duo hæc dicebat Pythagoras diuinitùs data esse hominibus longè pulchriora veritatem amplecti, & beneficijs operam dare:* vtrumque veró cum deorum operibus comparari posse quàm sit Principibus commendata benignitas; quàm eorum loco consonum beneficentiæ studium, vt quam præseferunt Numinis inter homines effigiem veram, non fictam exhibeant abundè in superioribus ostendimus. Succedit modò explanare quàm eos deceat fides, atque constantia dictorum.

Neque verò Principem modò; sed & quemuis hominem ingenuum dedecere verborum fucum, & fallendi artem, constans fuit Antiquitatis persuasio. Sanè apud Massilienses lex ea viguit, vt si quis seruus libertate donatus fallaciæ euinceretur, hoc ipso in pristinam seruitutem reinciderec. Existimabant quippè mendacij dedecus labem esse ingenuo viro indignam, vnisque seruis, hominum fæci sustinendam.

Heracl. lib. de Politijs.

Seuera nimis cuipiam fortè visa fuerit hæc Massiliensium disciplina; sed tamen seuerior extitit in fallaces lex apud lycios, si Heraclidi credimus. Satuerant, vt si quis mendacij reus inueniretur, cuiusque demum loci, vel di-

gnitatis

gnatis ille foret palam ſub haſta venderetur, cuiuſque ſeruus fieret, qui emere vellet, ac ne ſpes vlla libertatis recuperandæ ſuppeteret, omnia ipſius bona fiſco adiudicabantur. Nimirum è communi bono eſſe putabant humanæ ſocietatis euerſiuam mentem his inurere notis, ne amplius incautis decipulo eſſe valeat.

O candida, adeóque aurea ſæcula, heu tetrum ætatis noſtræ ingenium Quippe is ſapiens habetur, qui longius à mentis candore abit; qui ſplendidius mentiri, & ſubtiliùs fallere nouit. Scilicet qui re ipſa ineptiſſimus ſordidiſſimúſque eſt, longiſſimèque à ſapientia abhorrens. Quid nimirum aliud orbis ſapientes totis conatibus vniuerſiſque ſtudijs, niſi veritatem quærebant? Si ex mendacijs ſapientia conflaretur, non dico res operoſa foret, cum & rudiſſimi quique moriones, ijque maximè mentiri valeant. Opportunè, iuxta ac lapidè Ageſilaus cum audiſſet Rhetorem quendam laudari, quod rem in ſe tenuem, verborum pompâ grandem reddere noſſet: ego ſanè, inquit, ne ſutorem quidem arbitror bonum, qui paruo pedi magnos inducat calceos. Pigeat itaque, pudeatque homines vaniſſimos ineptiſſimæ artis, quâ verba, ideſt, merum ventum, aut merces ſumptuoſiores venditant. Non adeò in belluas abiere

Plutarch. in lacone.

viri,

viri, vt vento alantur chameleontium instar; nec ita cœcutire, vt iusto pretio pendere nesciant huiusmodi præstigias.

Quæ cum ita sint, atque ingenuum quemque virum adeò dehonestent fallaciæ, verborumque fuci haud difficile euincitur quantum Principi repugnent: *fraus cum in omnibus fœda sit* (inquit Tucidides) *tum verò in his, qui maiori sunt dignitate præditi fœdior est, quàm aperta violentia.* Etenim vim inferre prauum illud quidem, atque ferinum; dolis tamen, atque mendacijs circumuenire abiectius quoddam, viliusque feritatis genus est. Præclaré, vt assolet, rem expressit Tullius in hæc verba: *cum duobus modis, idest, aut vi, aut fraude fiat iniuria: fraus quasi vulpeculæ, vis leonis videtur: vtrumque alienissimum ab homine est; sed fraus odio digna maiore.* Procul omnino sum ab ea mente, vt belluæ cuiusquam ingenium hominibus permittam, ne dum commendem. Cæterùm, si inter praua, quæ leuius maculant indigitare fas est, arbitror minus ægrè ferendum Principi viro, si leonis indoli, quàm si vulpinæ accedat; adeóque dehonestari magis, si fraude, quàm si per vim lædat.

Tucid. lib. 4.

Cic. lib. 1. Off.

Neque verò ex sacra pagina desunt præclara eiusdem rei documenta. Peregrinus Abraham ditionem Regis Abimelech ingressus cum vxore Sara, timensque ne cum vxore

conspicuæ

conſpicuæ formæ, & vita ſibi adimeretur (quæ potentiorum impotens ſolet eſſe, & cruenta libido) monuit vt ſe ſororem, non coniugem Abrahæ diceret Sara, factum ita. Atque Rex fœminæ pulchritudine captus, eam in concubium pellicit. Increpat acriter Deus Regem per ſomnium, mortem minatur. ſtupefactus Abimelech, Abraham accerſit, de fraude expoſtulat. Cui abolendæ notæ intentior ille; *verè*, inquit, *ſoror mea eſt, filia Patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem.* Quid? an non ingens ſcelus fictione illa aditum facere Numinis offenſæ, ſuo & vxoris dedecori? Ita planè. Sed tamen totus eſt Abraham in purganda mendacij nota; quam nimirum ſingulari cura cauere debent viri Principes, & quotquot probi eſſe atque videri volunt. Non omiſerat quidem Abraham iuſtum timorem prætexere in facinoris ſui tutelam; ſed tamen ſingulari cura incumbit detergendæ mendacij labi: oportunè ibi oleaſter: *tenentur viri ſancti de ſe rationem reddere: & maximè quod non ſint mendaces:* imò ſanè tacere quandoque laudabilius. Cæterùm mendacij labem omni ſolitudine, & abſque humilitatis diſpendio à ſe propulſare conſueuerunt viri ſanctiſſimi.

Oleaſter ibi.

Concubuerat Iudas Patriarcha cum nunc ſua Thamare meretricem ratus. Pretium poſtulanti

ſtulanti hædum ſpopondit, miſitque ſubinde. Regreſſo verò ſeruo, & non inuentam nunciãti ait: *Habeat ſibi, certè mendacij arguere nos non poteſt.* Quod exponunt hæbrei; ſuum eſto quod habet de n.e., & ne requiras eam amplius, ne factum iſtud diuulgetur ad confuſionem meam. Hebræus autem textus apud Lyranum ita effert: *Habeat ſibi, vt non ſimus deſpectui.* Sed qui an non annulum, armillam, & baculum fœminæ in arrabonem tradiderat? Prorſus ita. Nec amiſſa dolet? imò lætatur pignoris cuiuſque diſpendio famam ſeruari: Infra illam eſſe decet apud virum ingenuum cuncta, quæ poſſidet. Sed qui famam tuetur? Occultatione ſceleris patrati aiunt Hæbrei mox relati. Non annuo tamen. Imo tum maximè propalandum eſſe iure, ac merito timuiſſet, dum notiſſima ſua pignora cum meretrice fœmina abiſſe crederet, fidem additura meretricio faſtui, quo impudentiſſima capita admiſſa ſcelera iactare conſueſcunt. Libet ergo magis ex ipſo vulgati noſtri textus limpidiori latice rei cauſam depromere. Solaminis ſui rationem diſertis vebis exponit Iudas: *certè*, inquit, *mendacij arguere nos non poteſt.* Ac ſi dicat: abeant in perditionem annuli omnes, armillæ, & ſi quæ ſumptuoſiora habeo; eat etiam in vulgus, ſi ita volunt ſuperi commiſſi ſcelus ſtupri, ſeu venius

Gen. 38 23

nius inceſtus; modo id mihi ſolatij maneat, quod me mendacij nequeat arguere garrulum os. Nihil enim grauius eſſe poteſt viro nobili, quàm viliſſima mendaciorum, & fallaciæ labe conſpergi. Hinc ſibi infamiam, hinc deſpectum timuerat Iudas Inde laudem ſperabat, quod promiſſa ſoluiſſet. *Certè mendacij nos arguere non poterit. Ego miſi hædum, quem promiſeram.*

§. VII.

Principi eò impenſiùs colenda veritas, quò magis inolitum aulis mendacij vitium.

Dixitque Deus fiat firmamentum medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis & fecit Deus firmamentum &c. Quid eſt, quod ad vnius cuiuſque operis patrationem à Deo indictam ſignatè teſtetur Moyſes opus eiuſmodi fuiſſe confectum? an fieri potuit, vt aliquod Dei iuſſum irritum fuerit, aut infectum maneat, quod ipſe fieri ſtatuerat? Nequaquam me hercle. Sed eſt ita agnata Principum aulis mentiendi conſuetudo, & quæ pollicentur non perficiendi, vt crebris monitionibus inculcandum duxerit ſacer Hiſtoriographus id

Gen. c. 1. verſ. 6.

pessimi vitij in supremi Imperatoris monarchiam non irrepsisse.

Rem dicam Aulicis nostris forsitan acerbam; sed tamen fatendam denique, dudúmque confessam. Nullibi locorum, vt in Principum Aulis mendacia vigent, veritas exulat. Quid verò. An est quidquam, quod magis horreant Aulici, quàm mendacij nota? An non, qui impios, superbos, lasciuos, rapaces esse, & audiri haud ægrè ferunt, ad mendacij nomen horrent, mendaces vocitari summum dedecus arbitrantur, extremamque contumeliam solo palmæ; vel fustis ignominoso ictu expiandam? prorsus ita; sed qui mendaces dici adeò refugiunt esse tamen sic amant (& in hoc proiectè mendaces, quod videri velint aliud, quàm sint) vt ipsam Aulicorum tesseram, germanissimámque ac veluti necessariam indolem esse fallendi mentiendique artem conceptis verbis pronunciauerit Galenus: cum enim hominum mores ex eorum muneribus, & vitæ instituto censendos esse asseuerasset, eos demùm omnium minimè veraces existimandos esse docuit, *qui apprimè potentium, aut etiam principum, ac Tyrannorum ædes frequentant. Obsequia quippe huiusmodi mendacium sequi consueuit, quisquis enim huiusce generis vitam sibi sequendam proposuit, non solum non*

Gal. in Method. apud cũ sier. in Theo-pol. 2. p. lib. 2. cap. 7.

verax

verax eſſe conſueuit; ſed etiam omnem malitiam habere neceſſariò.

Sed ne medici fidem hac in re aſpernentur faſtuoſi dynaſtæ audiant Senecam Aulæ non minus, quàm philoſophiæ artibus, & vſu inſtructum: *Monſtrabo tibi*, inquit ille, *cuius rei inopia laborent magna faſtigia quid omnia poſſidentibus deſit. Scilicet ille quia verum dicat, & hominem inter mentientes ſtupentem, ipſaque conſuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignominiam viri productum, vindicet à conſenſu, concentúque falſorum.* Ita ſanè, hic pluſquam Syrenarum Lethifer aulæ cantus, hic Aulicorum omnium perpetuus concentus mendacium, & adulatio.

Virum clarioris adhuc loci teſtē proferam? accipe Ludouicum vndecimum Francorum Regem, quem ferunt aliquando dixiſſe; ſe in Aula ſua rebus omnibus abundare, vna tamen excepta; & interrogatus quę illa fuiſſet *Veritatem eſſe repoſuit:* Sed & qui Principis, & ſancti cognomento præcellet ſummæ fidei teſtis in rem eandem accedat his cantiunculæ mellitis Verbis.

Beyerlinc. in Apophteg Chr. Maff. Barb. qui poſt Vrban. VIII. Pontif. Max. in ſuis Carminib.

Fugit Potentium limina veritas;
Quamquam ſalutis nuntia.

Accinit Magnus Gregorius ſanctiſſimus Pontifex Aulæ philoſophiam in hæc verba præclarè deſcribens: *huius mundi ſapientia cor*

S. Greg. lib. 10. Moral. cap. 102.

notionibus tegere, sensum Verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vero sunt falsa demonstrare. En totam Aulicorum sapientiam, fucum scilicet, simulationem, & mendacium.

Neque verò desunt in rem eandem. Luculentissima sacræ paginæ testimonia. Insanierat olim totus Israël in absurdum vitulorum cultum. Tunc Amos districtis propheticis minis vanitatem Idoli apertissimis argumentis confutat. Iamque veritas diu profligata hominibus illis irradiare incipiebat, quando misit, *Amosias sacerdos Bethel ad Ierobøam Regem Israel dicens: reuelauit contra te Amos in medio domus Israel, non poterit terra sustinere vniuersos sermones eius.* Quis obsecro fuerit Amasias iste, qui vnus omnium in se recipit munus opugnandæ veritatis? Monet Vatablus Principem sacerdotum extitisse à Rege constitutum, purum scilicet, & excoctissimum Aulicum; adeóque veritati ex munere, & institutione infensum; cum totus Populus illi fœliciter acquiesceret; in quam rem ita scripsit Ruffinus Pius: *ex pictis consequenter aduertimus, quod etiam nostrorum temporum negotiis experimur; quia pars gentis humilior, id est, quique populares quò minus habeant de nobilitate superbia, hoc etiam prophetarum dictis facilius monebantur: Sacerdotes verò, & optimates*

Amos.7. 10.

Ruf. Pius.

timates cum Regis vitiis contenderant, reſpuebant, & criminabantur, & ſi liceret interficiebant ſalutares Magiſtros. Adeò antiquum eſt aulicis ſigna aduerſus veritatem efferre, mendaciiſque militare.

Notiſſimum, ſed luculentiſſimum eiuſdem rei teſtimonium exhibet Ioannes Euangeliſta. Dixerat Chriſtus Pilato ſe ad hoc in mundum iſtum veniſſe, vt homines veritatem doceret, & quaſi rem nouã, atque inauditam protuliſſet: *dixit ei Pilatus quid eſt veritas? & cum hoc dixiſſet iterum exiuit ad Iudæos.* Nimirum ad veritatis hoſtes deſerto veritatis Magiſtro, nec expectato quæſiti reſponſo. An adeò erat rerum ignarus Præſes Romanus, vt quod Dialecticos Tyrones neſcire puderet, ipſe ignoret; nimirum quid ſit veritas? Erat quidem ille apprimè ſapiens; ſed juxta Mundi, & Aulæ ſapientiam. Illa verò qualis ſit, modò ex Magno Gregorio accepimus, nimirum dolus, ſimulatio, veritatis non modò inſcitia; ſed etiam odium. Audito veritatis nomine tanquam ad nouum quidpiam, & hactenus inauditum hæret; expoſcitque quid iſtud rei ſit, ac veluti in ſe rediens homo ſcilicet aulicus, timenſque ne aulæ iura violaret ſi veritatis explanationem audiat, renuit audire, quod explicandum propoſuerat. Adeò ſunt veritatis impatientes Aulicæ aures?

Ioan. 18. 38.

§. VIII.

Egregium Principis veritatem amantis documentum exhibet PHILIPPVS IV.

CVm itaque ex his appareat, quàm ſit agnatum aulis Principum fraudis, & mendacij initium, atque ex ſuperioribus conſtat, quantum ea peſtis ſi Principem inficiat dedecoris, & Periculi aſportet, plane manifeſtum ſit, ſumma ſolicitudine incumbendum eſſe Principi in eam curam, ne quid eius contagij in illius mores, aut verba irrepſiſſe videatur: neue exiſtiment Aulæ ſuæ viri gratum illi facturos, ſi pro veris falſa, peſſimaſque adulationes ingerant. Qua in re optimi, ac Potentiſſimi Regis, & Domini noſtri Philippi VI. egregiè ſplenduit pietas, & tanto Principe digna ſapientia, qua ad initium anni 1643. imminente noua bellorum, & calamitatum mole inter alia edicta, quæ ipſe in ſupremo ſtatus conſilio viua voce propoſuit; aliiſque juſſit ſcripta mitti, quæque omnia Principem vndequaque magnum, & verè Catholicum ſpirant, ſeriò & vehementer Conſilij ſui viris imperat, vt omni fuco abſtinentes, nudam, & apertam veritatem

ritatem ipſi in rebus omnibus exponant, etiam iis, quæ ipſi minus placitum viderentur. Et quoniam ſunt prorſus grauiſſima, & plena ſenſus iuxta, ac maieſtatis magni Regis verba, opere prætium fuerit ea hîc ſcribere provt extant apud D Ioannem de Solertano Pereira, non ſemel in ſuo opere emblematum Regio Politicorum. Sic ita effatur maximus Princeps: *En tercer lugar os mando con toda preſicion, que ſiempre me trateis verdad liſamente, aunque os parezca, que ſea en coſa contra mi guſto: que aunque eſtoy cierto, que ſi Dios no me dexa de ſu mano yo no le tendre en nada, que ſea contra lo que os digo, como hombre puede ſer, que falte en algo, y para en eſte caſo es quando mas he meneſter, que mis miniſtros me ablen claro, y no me dexen errar. Y mirad, que os pedire eſtrecha cuenta à todos, ſi auiendo declarado yo en eſta forma mi voluntad voſotros, no cumplis con ella.*

Phil. IV. apud ſolertan. in dedic. emblem.

Aurea planè verba ære, ſiliceque ſculpenda, in poſterorum Principum, Aulæque documentum, quibus ſcilicet omnem fallendi, mentiendique anſam Regiis adminiſtris præripit, ipſamque mendaciorum, atque adulationum radicem altè, ac dudum Aulicorum animis jactam penitùs auellit; nempe ſpem placendi Principi, quando Principem nacti ſumus, qui palam obteſtetur, nihil ſibi gra-

tius veritate, nihil molestius fuco, ac fallaciis esse vt deinceps vnam nequitiam colere euincantur Deo, Regique infensi, quotquot adulationes, mendaciaque attulerint.

Haud puto erit ingratum, aut molestum cujus, si tanti Monarchæ tam egregium facinus paulò accuratius expendam: *Contra potens malum*, inquit Seneca, *& apud nos gratiosum, dum conspicimus, dum nostri sumus aduocemus*: Fecit id ipsum Rex noster, nimis potens, & apud Principes gratiosum malum est adulatio, contra eam Sapientiæ suæ robur maturè opponit Philippus, tam in hoc laudandus, quàm ob aduersum scelus æternùm execrandus pessimus ille Rex Persarum Cambyses: ingurgitatum vino Præxaspes ex familiaribus vnus monebat, vt parcius biberet; fœdum esse Regi ebrium conspici. Tum ille, vt noscas, inquit, quam nunquam mihi excidam, ostendam modò, & oculos, & manus in officio consistere. Bibit mox etiam quàm alias effusius; & iam vinô grauis monitoris filium vltrà limen pergere jussit, alleuataque supra caput sinistra manu stare. Tunc arcum intendit, & ipsum cor adolescentuli (eò enim collimare monuerat) transfixit, rescissoque pectore hærens in corde spiculum monstrauit, ac patrem intuens interrogauit, an satis certam manum haberet. Ad quod ille,

Senec. li. 3. de Ira cap. 13.

ille, negauit Apollinem potuiſſe certius mittere.

En ſanè perditiſſimæ; ſed tamen communioris aulæ expreſſam effigiem, Regem cupidinum, adminiſtrum adulationis ſordidum mancipium, vtrumque miſerum; acriùs tamen in poſteriorem iſtum inuehendum duxit Seneca, qui dum rem narraſſet, ſic generosè in palponem ſtomachatur: *Dij illum malè perdant, animo magis, quàm conditione mancipium. Eius rei laudator fuit, cuius nimis erat ſpectatorem fuiſſe.* Neque verò Peſſimum Principem, qui ſic erudiret, & ſic eruditos amaret impunem dimiſſit. *O Regem cruentum,* inquit Seneca, *ô dignum in quem omnium ſuorum arcus verterentur: Cum execrati fuerimus, illum conuiuia ſuppliciis, funeribuſque ſoluentem; tamen ſceleratius telum illud laudatum eſt, quàm miſſum.* Meritò ſane inter nefarium Regem, ſordidumque adminiſtrum dubius fertur prudens Philoſophus, neſcius, quem enixius damnet. Fecit quippe ſæuitia Cambyſis timidum Præxaſpem, & miſera adulatio infelicem Cambyſem, qui laudatorem ſcelerum nactus ea fidentius patraret, jure maximo deceptus, qui ſic decipiebat. Decipit Præxaſpem ſpecie amicitiæ, vt veritatem inutili, & infœlici ſtudio ingereret; ſatius enim fuiſſet nefarium bibonem vinum

quam

quam cruorem bibere, cuius manus poculo occupari pax erat. Quis fastidiat pulchra Senecæ verba; & si longiusculè inculcata: *Accessit itaque inconsultus monitor*, ait ille, *ad numerum eorum, qui magnis cladibus ostenderunt quanti constarent Regum amicis bona consilia.*

Nocuerunt sanè non rarò amicis Regum bona consilia; sed Regum pessimorum qualis Cambyses; quales illi de quibus Plinius: quod enim tam *infidum mare, quàm blanditiæ Principum illorum, quibus tanta leuitas, tanta fraus, vt faciliùs esset iratos, quàm propitios habere.* Quidni verò ita nempe cautos redderet fauor, vanam fiduciam, hæc perniciem afferebat. Longè omnino ab illorum ingenio abest maximus, idemque optimus Rex noster, qui grauissimis Verbis, & planè regiis, quæque suo pondere omnem simulationis metum depellerent Consiliarios suos monvit, adiurauitque, seria etiam in refragantes comminatione adhibitâ, vti planè, & fidenter ipsi veritatem vtique exponerent, salubria suaderent, noxia vetarent, neque uerbis tantum; sed opere passim testatur vnam illam esse viam placendi verè pio, & Catholico ipsius animo, vt subeat Principem nostrum his verbis alloqui, quibus faustum illud Hispaniæ nostræ germen, & magnum Orbis Romani ornamentum Traianum Cæsarem

Plin. in Pang.

Cæſarem olim affatus eſt Plinius : *Terror*, inquit, *& metus, & miſera illa ex periculis facta prudentia monebat, vt à Repub.* (*erat autem omnino nulla Reſpub.*) *oculos, aures, animos auerteremus. At nunc tua dextra, tuis promiſſis freti, & innixi obſepta diutina ſeruitute ora reſeramus, frenatamque tot malis linguam reſoluimus. Vis enim tales nos eſſe, quales nos iubes, nihilque exortationibus tuis fucatum nihil ſubdolum: denique quod credentem fallere paret, non ſine periculo fallentis: neque enim vnquam deceptus eſt Princeps; niſi qui prius ipſe decepit.* Egregia prorſus, & illuſtris doctrinæ verba. Vt vel hinc appareat; quanti referat Principem (cui tanti intereſt à ſuis non falli) veracem eſſe, veritatiſque amantem; apud ſic comparatum, quis audeat mentiri? neque *enim vnquam deceptus eſt Princeps*, niſi *qui prius ipſe decepit.*

§. IX.

Ad Reipub. dignitatem ſpectat membrorum inæqualitas, & pulchra quædam diſtinctio.

F*Ecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt praeeſſet Diei, luminare minus vt praeeſſet Nocti.* Quanta ſit lucis, & quæ per eam deſignatur Sapientiæ dignitas, quam illa

Gen. 1. verſ.16.

illa necessaria Principibus, & Regno vtilis superius vidimus. Age vlterius protendamus eandem lucis meditationem. Non incongruam nobis disciplinam suggeret. Fecit itaque Deus duo luminaria magna; non tamen æqualia, sed alterum magis altero, & quidem maiori illustrius, nec tamen vniuersum onus imposuit; minori aliquod sed humilius commisit: *Luminare maius, vt praeesset Diei, & luminare minus, vt praeesset nocti*: Monuit quippe his sapientissimum Numen, ministros sapientiâ conspicuos esse Reipub. præficiendos; non tamen æqualis omninò potestatis, atque dignitatis, sed quorum alij alteris cædant, ornandos quidem omnes. Non omnia vni; nihil aliis esse committendum, singulis pro conditione cujusque prouidendum.

Sed cur libuit Mundi luminaria esse inæqualia? Cur Regis administros, & Reipub. Præsides dignitate impares? Annon planè habet iucunditatem satis inspicientibus notam varietas, vt in cœteris omnibus, ita etiam in Regnorum Ordinibus. Parit etiam tranquillitatem, quam turbaret æqualitas. Et quoniam hoc paradoxum, non ita explicatum cuipiam fortè videbitur, paucis erit illustrandum.

Extitit quondam aliquorum opinio dudum antiquata existimantium terram vniuersam ante diluuium fuisse æquabiliter rotundam, nulla

nulla celsiorum, humiliorumque locorum inæqualitate; post eluuionem autem, hanc quam cernimus montium, atque vallium disparitatem emersisse. Capitosa vtique magis, quàm oculata opinatio, cum huius ipsius libri Geneseos septimum caput euidenter ostendat diluuium inuenisse terram montibus variegatam, ibi enim habetur: aquas diluuij Montes etiam tum existentes supernatasse in hæc verba: *quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat*: neque planè si ita noua fuisset montium origo diuina sapientia apud Salomonem in suæ antiquitatis argumentum dixisset; se fuisse, *prius quàm montes graui mole consisterent.*

Gen. 7.

Prouerb. 8.

Sed vt ad rem proprius accedamus, audi quâ ratione aggrediatur Rupertus, ostendere terram ab initio montibus, atque vallibus fuisse distinctam. *Hic plane sciendum est*, inquit, *quia si terra aequalis vbique iaceret, non leuior, quàm in mari ventorum tempestas in ea regnaret.* Mira sanè ratiocinatio, cuius vim alterius instituti fuerit pensiculatius ostendere. Interim eam experientiâ potentissima sensuum Magistra corroborat Rupertus aiens: *nam solet & nunc in locis illis, qui montibus carent, videlicet maximè in Eybia, tempestas non minus, quàm in pelago turbare foris deprehensos, quoscumque tam pedibus, quam equo sedentes.*

Rupert. l. c. de Trin. c. 34.

Habes

Habes terrarum planitiem, & omnimodam æquabilitatem causam fore procellarum, atq; tempestatum; montium è contra distinctionem tranquilitatem parere. Cur ita? an quia erumpentes flatus obiecta montium citius retunduntur, ne latius diuagantes, viresque per commotum aerem colligentes seuetiores excitent turbines? Haud improbilis videtur ea philosophandi ratio; sed perquam idonea ad nostrum illustrandum scopum. Si æqua foret membrorum omnium Præsidumque Reipub. conditio, nulla maiorum, minorumque ceù montium, atque vallium disparitas, quis tandem foret emergentium passim litium finis? fert hos turbines hominum indoles, non secus, ac terræ flatus; superbum quidpiam, ac infinitè contentiosum est mortalium ingenium, ni Præsidum inconcussa opponatur authoritas, qua alij alijs cedere cogantur, nullus erit ordo, nulla tranquillitas, nullus altercationum modus, tota Resp. ceu procellosum mare perpetuis tempestatibus agitabitur.

Vah! quàm funestum eius rei argumentum nuper instituerunt tumultuantes Britanniarum Populi, qui postquam Reges, Proceresque execrando posteris ausu abegerunt, Principum, quem causabantur fastum, nequiori longe fastu ipsi caloantes, innumeris calami-

tatibus

tatibus interminatiſque tempeſtatibus ſe implicuerunt, non requiem, quam ſibi fingebant, beatámque tranquillitatem ſunt aſſequuti.

§. X.

Diſtribuenda ſingulis Reip. munera pro cuiuſque captu, atque dignitate.

LVminare maius ut praeſſet Diei, & luminare minus vt praeſſet nocti. Conſtituto itaque quàm ſit æqua, & Reipublicæ oportuna membrorum ipſius inæqualitas, ſupereſt oſtendere quantum interſit Principis curare, vt impoſita munera ſingulorum viribus, & dignitati reſpondeant, ne maiora minoribus, vel etiam maioribus, minora tribuantur. Profundum pro more Taciti monitum extat, ſapientis Principis opus eſſe, vt quos eligit adminiſtros *pares negotijs, neque ſupra ſint.* Iuxta enim conſultum, atque periculoſum eſt, celſiora munera ineptis, quàm humiliora eximijs viris committi.

Gen. 1. verſ. 16.

Tac. 6. Annal.

Et quidem, quàm ſit incongruum, atque damnoſum clariora munera ineptis committere ſatis de ſe conſpicuum eſt, habetque Princeps male diſtributi, habet & miniſter male

male accepti honoris meritissimas pœnas, ille damnum, hic dedecus, Respub. perniciem ex errore reportat. Sanè si ea foret dignitatum conditio, vt accipientes illicò probos, seque dignos redderent ambiendas esse facilius annuerem. At potius improbi nequiores, abiecti viliores per hæc fastigia redduntur. Audi id monentem magnum Boetium. *Num vis ea est Magistratibus, vt vtentium mentibus virtutes inserant, vitia depellant? atqui non fugare, sed illustrare potius nequitiam solent.* O sanè oportunam per fraudem, & ambitum ad immerita fastigia irrepentium pœnam, honorem venantur, & dedecus reportant, vna sua nequitia illustriores. Quàm præclarè eos perstringit Salomon; *Iter impiorum decipiet eos, non inueniet fraudulentus lucrum*; scilicet quod ambiuerat, quod tamen meretur inueniet, vt nimirum eius nequitia illustrior, notiórque reddatur nimirum oculati sunt homines, facilè dispiciunt an assumpta nomina decoratis per ea congruant, sin conueniant alia ipsi, quæ congruant, imponunt. Catullus Nonnum licet in Curuli sedentem strumam indignabundus appellauit. Ita indigno oritur ex dignitate vberior dedecus. Si quæras qua id ratione contingat, accipe Bœtium acutè rem enucleantem: *Nam si eò abiectior est, quò magis à pluribus quisque contemnitur, cum reuerendos facere*

Boet. de consol. lib. 3. prost. 4.

Prouer. b.12.27.

Catul. Epist. 53.

Boet. supra.

cere nequeat, quos pluribus oſtentat, deſpectiores potius dignitas improbos facit. Quid pulchriùs, aut neruoſiùs dici potuit?

Quid enim? injecta humeris fatui toga ſapientem reddet? imò ſanè ſtultitiam prodet. Conceſſa improbo rerum poteſtas bonum efficiet? Mehercle potius fræna laxabit ſceleribus omnibus, efferáſque cupiditates olim latentes, ceu immanes belluas ex cauea ſoluet in perniciem ciuium. Quid tum circumfuſi non talpæ, ſed perſpicaciſſimi viri? Sanè ita ſunt hominum cenſuris obnoxia crimina præſertim imperantium, vt vel cœcutientes, & lippi ea deprehendant, & tacebunt? pie excuſabunt? imo certè per fora, atque templa buccinabunt, augebunt, ficta veris cumulabunt. Ita qui ſibi, & domi fatuus, improbuſve erat, ad dignitatum faſtigia euectus illuſtrius vileſcit, ſolemniuſque damnatur. Nam *cum reuerendos facere nequeant, quos pluribus oſtentat deſpectiores potius dignitas improbos facit*.

Sed quoniam dixeramus Principem ſic malè deſtribuentem munera ſibi dedecus, muneribus autem, adeóque Reipub. perniciem comparare, libet grauiſſimo eiuſdem Boëthij calculo & hoc documentum ſtabilire. Is itaque cum laudatis proximè verbis monuiſſet collatas in immeritos dignitates ipſis

probrosas existere, subjunxit: verum non impune; *reddant namque improbi parem dignitatibus vicem, quas sua contagione commaculant.* Prorsus ita faciliúsque longè, vt dignitas per immeritum dehonestetur, quàm vt ipse per ascititiam dignitatem nobilior euadat. Neque tantum munus commissum, sed etiam qui commisit Princeps per indigni administri siue inertiam, siue nequitiam dedecoratur.

Boet. de consol. lib. 3. pros. 4.

Ad ornatum Palatij credimus, ait Theodoricus Rex apud Cassiodorum, *aptas dignitatibus personas eligere, quia de claritate seruientium crescit fama Dominorum.* Opportuniùs etiam ad rem nostram ipse Cassiodorus ad Ioannem Cancellarium scribens ita loquitur: *Actus enim tui Principis opinio est, & sicut penetrale domus de foribus potest congruenter intelligi; sic mens Præsulis de te probatur agnosci.* Sed en rationem subjunctam, quæ Principibus terrori esse debeat, ne male eligant: *Non injuria*, inquit, *quia talem vnusquisque ad responsa sua videtur eligere, qualem se cunctos decreuerit æstimari.* Adeò vt malus Administer malum Principem, bonus, bonum prædicet, non secùs ac fores de penetralibus domus annuncient.

Cassiod. lib. 3. Ep. 3.

Lib. 11. Epist. 6

Quanta erat Regis Athalarici cura, vt moneta, cui erat insculpta effigies puri, indefæcatique

tique metalli foret? audi ipſum apud Caſſiorum ſic effantem: *Omnino moneta debet integritas quari, vbi, & vultus noſter imprimitur, & generalis vtilitas inuenitur. Quid nam erit tutum ſi in noſtra peccetur effigie?* At nulla expreſſior Principis effigies, quam eius adminiſter; nec vlla moneta, vllave effigies corrupta ſic Principem dehoneſtat ſicut prauus, ineptuſve magiſtratus. En totum præclarè delineatum apud Temiſthium, reprehenſam Principum incuriam, qui cum demortua ipſorum ſimulachra exacta eſſe, integráque velint, ſpirantes, veraſque ſuas imagines, quibus poteſtatem ſuam exercendam, dignitatemque repræſentandam commiſſerunt, corruptas eſſe, indecoráſque ſinant. *Neſcientes,* inquit, *quicumque tandem Gubernationis munus ſortitus ſit illum exiguam Imperij imaginem inducere. Porrò ex imagine homines formam exempli primarij conjectant. Ridiculum verò ſit ſtatuam, niſi prorſus adſimilis ſit projicere: tabulam delere, qua nihil exemplaris ſui repraſentet, de animatis autem imaginibus omni cura ſolutos non laborare.* Ex quibus abundè liquet quàm ſit danti, & etiam accipienti probroſum, quàm etiam Reipub. pernicioſum celſiora eius munera ineptis committere.

Lib. 7. epiſt. 32.

Themiſt. orat. 17. in Senatu.

Illud fortè durius cuipiam videbitur, quod aſſeruimus inconſultum etiam eſſe humilioribus

bus officiis clariores viros præficere, & qui ſint multò muneribus maiores. Sed ne longiùs quam par eſt hic excurriſſe videatur oratio aliam rei iſti exponendæ ſectionem dicabo.

§. XI.

Ne committat Princeps obſcuriora munera viris clarioribus, & qui nimium ſint onere majores.

EXcultiſſimæ Politiæ documentum fuit illud ſuperiùs adductum ex Tacito, vt ſcilicet aſſignati per Principem Magiſtratus pares negotiis, neque ſupra ſint. Sunt quædam hominum indumenta munera, quæ ſubeunt, adeóque cujuſque menſuræ & conditioni aptanda. Perinde fuerit incongruum tunicam vel breuiorem vel longiorem corpori admouere, quàm par eſt; ita erit inconſultum munera commiſſa vel ſupra eſſe, vel nimium infrà miniſtri vires, & dignitatem. Abunde dictum eſt ſuperiùs quam ſit periculoſum clariora munera indignis committi. Nunc demoſtrandum venit illud aliud, ſcilicet ne vis adminiſtri nimium excedat muneris pondus.

Id

Id enim in primis viro magno iniurium eſt, humiliori quàm par eſt loco conſtitui. Quippe dignitates à Principe collatæ ſigna quædam ſunt, atque teſtimonia meritorum. Nec aliud eſſe ſolet latius patens, ſonantiúſque ad hominum vulgus præſtantiæ argumentum quam munera commiſſa, tantus quiſque cenſetur, quantum eum prædicant officiorum nomina. Hæc eſt vulgatiſſima Iudiciorum trutina; ſed & eſſe volunt Principes, ne ipſi iniqui hominum æſtimatores, munerumque diſtributores videantur: Nec puto quiſquam eorum eſt, qui non etiam à ſe dictum velit illud Theodorici Regis: *Pompa meritorum eſt: Regale judicium, quia neſcimus iſta, niſi digna impendere.* Cuius rei cauſam idem exhibet, qui dum ad Patritiatus dignitatem Caſſiodorum euexiſſet, poſt Prætorianam præfecturam ſummâ cum laude geſtam, non tam honeſtum eſſe vult ex munere commiſſo, quam ex Principis committentis iudicio; *Tamen*, inquit, *Iudicij noſtri culmen excelſum eſt, cum qui à nobis prouehitur præcipuus, & plenus meritis æſtimatur.* Et paucis interpoſitis rem memorabili iſta ratione conſignat. *Quid enim majus quæritur, quam hic inueniſſe laudum teſtimonia vbi gratificatio non poteſt eſſe ſuſpecta? Regnantis quippe ſententia iudicium de ſolis actibus ſumit, nec blandiri dignatur animus poteſtate munitus.*

Idem lib. 1 Epiſt. 3.

munitus. Regium planè dictum, magisque Regium id opere præstare, atque optimos quosque Reges, & Principes reipsa præstare par est vt censeamus. Quò magis ægrè ferendum viris clarissimis, si obscurioribus, quàm par est, muneribus admoti, famam suam publico quodam, eóque regio calculo denigrari videant.

Neque verò impune id fecerit Princeps. & absque muneris impositi dispendio. Quippe vir magnus si exiguæ Prouinciæ destinetur, vel vniuersum negligit, otióque inerti indulget, vbi dignum sua opera negotium non comperit, vel certè ampliora meditatus, quàm rei conditio ferat, noua, periculosáque passim aggreditur, cuncta perturbat, & sus deque vertit. En illustratam rem ex sacra Pagina.

Pertæsus Moyses onus regendi populi Israelitici multis contendit, ne solus id subeat. Annuit Deus, atque ex sapientioribus gentis septuaginta viros eligit, sociósque iungit Moysi ad onus illud sustinendum: Sed audi quâ lege: *& auferam*, inquit, *de spiritu tuo, tradamque eis.* Sane de illo ipso quod erat in Moyse partem ei adimendo sociisque tradendo, si Augustino, & aliis apud ipsum interpretibus credimus. Sed cur quæso, vt septuaginta viris spiritum tribuat, demit Moysi? An ita spiritus inops Deus, vt ex proprio the-

Num. 11. 17. S. August. hic quæst. 18.

saure

ſauro eum promere nequeat, quin Moyſi auferat? nefas foret id cogitare. Dicendum itaque videtur ſub his Verbis contineri eam, quam exponimus optimæ politiæ rationem: Vt populorum rectores *pares negotiis* neque, *ſupra ſint*. Sufficiebat nempe vnus Moyſes toto illi Populo regendo, rexitque fœliciſſimè diù. Ergo diuiſo in plures eo munere auferatur Moyſi quod ſupereſt vltra neceſſarium ad partem ſibi reliquam moderandam, ne vis pluſquam ſufficiens muneri torpentem reddat. Nimis enim ex hominum conſuetudine atque natura eſt, imparia ſibi negotia ſpernere, ac perfunctoriè tractare. Quam ad rem appoſitè id docuit Philoſophus aiens; *Eſt magnanimi otioſum eſſe, ac tardum; niſi vbi magnus eſt honos, vel opus*. Caueat ergo Princeps ne male diſtribuendo munera, dum viris magnis iniurius eſt, humiliora quàm par eſt munera eis tradendo, ſibi etiam, ſuiſque rebus perniciem ingeneret: & quando ingenium, præſtantéſque animi dotes heroibus minuere nequit, neque velle minuta eſſe fas eſt, curet inter diſtribuenda munera eis admenſurare quæ ſubeant, ita ipſis, ſibique, & muneribus meliùs conſulturus.

Ariſt. lib. 4. Etic c. 8.

Aliud eiuſdem rei Argumentum ex diuinis literis accipito. Eliani muneris ſucceſ-ceſſor deſignatus Eliſeus ſic Eliam abeuntem

4. Reg. 2. 10.

alloquitur: *Obsecro, vt fiat in me duplex Spiritus tuus. Qui respondit rem difficilem postulasti.* Quæstio dudum, hodiéque agitata. An Eliseus postulauerit spiritum duplo majorem Eliano? An potius illum ipsum duplicem, qui Eliæ inerat miraculorum scilicet, atque prophetiæ? prius illud dicendum videtur, quæ enim difficultas in hoc excogitari potuit, quod Deus Eliseo conferat Antecessoris vires ad idem munus sustinendum, cum potius id maximè æquum, & rationi consonum appareat. Verùm ne id etiam difficultate vacet, cur visum fuerit difficile Eliæ spiritum duplicem, id est majorem, eo, quem ipse obtinuerat concessum iri eius successori. An id arduum Deo, qui collaturus erat? Audi Abulensem rem opportunissimè exponentem ad scopum nostrum: *Respondit Elias rem difficilem postulasti, cum sciret eum futurum successorem suum. Ergo videtur quod petebat spiritum duplo majorem, & ita erat res difficilis, quia tunc erat plusquam successor Eliæ.* Non erat difficile Deo Spiritum quantumuis magnum conferre Eliseo, sed cum munus Eliæ erat ipse traditurus, nimium difficile visum est, atque præter vsitatam diuini regiminis normam, disparem obeundo muneri indolem tribuere si ergo spiritum Eliano majorem tribuisset Eliseo: non tam iste Eliæ successor, quam aliud

Abul. 161. q. 15.

aliud quidpiam appareret *: plusquam ſucceſſor Eliæ.* Vt hinc appareat ſublimoris ſcholæ documentum eſſe, adeóque Principi Chriſtiano obſeruandum, vt Reipublicæ muneribus deſtinet *viros negotijs pares, nec tamen ſupra :* ne loca ſublimia ineptis ; ne etiam humiliora, quam par eſt claris heroibus aſſignet.

An non verò totius rei præclaram normam tradidiſſe videtur Deus in expoſita ſuperiùs luce productione, primæuáque luminum rebus præſidentium diſtributione ? fecit duo luminaria magna ſolem nempe, & lunam. Quid tum ? An lunam, quæ luminare minus eſt præfecit diei, ampliori muneri ? & ſolem nocti, id eſt, Planetarum clariſſimum obſcuriori prouinciæ ? abſit à ſapientiſſimo Numine tam abſurda rerum coordinatio, munerúmque inuerſio. Abſuit verò ſane longiſſimè. Et meritò, quàm verò impar foret diei muneribus malignum illud Cinthiæ lumen ? quàm in ſe concitaret Mortalium iram, probra, atque conuitia, vigilibus conſpectà, nec operibus æqua, lucis ſcilicet auara, vel inops ? contrà, quàm vano ſplenderet noctu fulgentiſſimum illud Phœbi iubar ! rebus ſcilicet tùm languentibus, atque ad otium, & ſoporem compoſitis inutile, imò ingratum, & moleſtum quam etiam iniquè ageretur, cum pulcherrimo illo cæli oculo, mundique ornamento

mento, si lunæ ignobiliori astro, & quidquid habet claritudinis à sole emendicanti postponeretur? Hoc itaque cauens iustus rerum æstimator, sapientissimusque moderator Deus, idoneum singulis tribuens munus constituit: *Luminare maius, vt praeesset Diei, & luminare minus, vt praeesset nocti.*

§. XII.

Principis Humanitas subditos decorat, ipsum non deprimit.

Gen. 1. v. 26.

Psal. 48. v. 2.

F*Aciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.*. Audite hæc omnes gentes erudimini Principes, quique terrigenæ, & filij hominum terras hominésque regitis: capite à cælorum imperatore maiestatis normam, humanitatem ne exuatis, quam induit ille, cernite quam maturè decreuit induere non priùs hominem condere statuit, quam consilium inijt de eo formando ad imaginem, & similitudinem suam. *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* vtique vt hominem ipse olim indueret: Adeò est Numini agnata comitas, adeò antiquus humanitatis amor.

An sic humanum se exhibens Deus: an sic comita

comitatem induens, maieſtatem exuit? imò ſanè ampliorem exhibuit. Concors eſt ſanctorum Patrum, ac Interpretũ ſenſus plurali illa voce *faciamus* maieſtatem ſonãte Auguſtiſſima Trinitatis diuinæ expreſſam imaginem referre atque hic primum magni iſtius, tremendique myſterij ſigillum reſerari, granditatem pandi. Adeò dum homines honeſtat, ſibíque ſimiles, & pares, quodammodo reddit Deus, ipſe nõ deprimitur, quin illuſtriùs ſplendeſcit dignitas eius, clareſcit maieſtas.

Ita omnino eſt Principes. Nil aliud magis imperantium maieſtatem commendat, imperiumque firmat, quàm morum ſuauitas, comitaſque in ſubditos. Præclarè rem expendit, comendauitque in Traiano Cæſare Plinius, ſic fatus: *vnum ille ſe ex nobis, & hoc magis excellit, atque eminet quod vnum ex nobis putat.* Vultis rei cauſam enucleari? certè vera Principis maieſtas, Imperijque firmitas vniuerſa ſubditorum amore nititur. At amor comitate fouetur, arrogantiâ depellitur. *Antiqua ſententia eſt*, inquit Maximus Doctor, *quem metuit quis odit; quem odit perijſſe cupit.* Contrà, quem ſuauem experimur, amamus; quem amamus ſoſpitem optamus, blandienti vltrò, & conſtanter obſequimur. Accipite vlteriùs Hieronymum rem egregiè illuſtrantem in epiſtola ſua ad Theophil. *non quaris monachos*

Plin. in Paneg.

D. Hieron. epiſt. ad Theophil. cont. error. Ioan. Hieroſ.

tibi esse subiectos, ideo magis subiectos habes: tu offers osculum, illi colla submittunt: exhibes militem, & ducem impetras. Citò indignatur libertas si opprimitur: nemo plus impetrat à libero, quàm qui seruire non cogit.

Recolite temporis retroacti monumenta siue sacra, siue prophana. Inuenietis Principum comitatem imperia stabiliisse, arrogantiam eâdem euertisse. Quis Regum nomen apud Romanos deleuit? vtiquè superbus Tarquinius. Quid Dauidi profuit, vt in ipso, eiusque prole stabiliretur Israelitici Imperij gloria? dicat ipse sincerus vtique virtutum suarum iuxta, ac vitiorum prædicator, huiusmodi meritorum codicillum apud supremum Regum Regem porrigens: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Multæ equidem, Regiæque virtutes in Dauide enituerant: sed tamen vnam mansuetudinem in Imperij basim, & columen ostentat.

Psal. 131. v. 1.

Agè vice versa expendamus quid Roboamum Dauidis nepotem infausto exitu à Regia sede deturbauit? quæ tanta rudis, & crassi ingenij iuuenis flagitia? an ille sceleratior parente Salomone idolatria, ac luxuria ad stuporem fœdato? imò sanè longè innocentior. Quid igitur Salomoni seruat, Roboamo eripit Imperium? ne aliud esse Sacramentum arbitreris, quàm quod Salomon; & si alioqui

comme

commemoratis fragilitatis humanæ næuis denigratus, ad Parentis tamen ingenium Rex manſuetus, & Pacificus extiterit. Contra Roboamus, & ſi ingenio ſimplicior, & vitâ innocentior; quoniam ex ſtultiſſimorum capitum conſilio arrogantiam induit, ſæuitiam in Populum comminatus, contemptum viciſſim ſuſtinuit,& imperij proſciſſionem, quàm ſapienter, & ad noſtrum inſtitutum appoſitè viri ſeniores, qui Salomoni à conſilijs erant filium Roboamum credebant in hæc verba: *ſi hodie obedieris populo huic, & ſeruieris, & petitioni eorum ceſſeris, loquutuſque fueris ad eos verba lenia erunt tibi ſerui cunctis diebus*, non acquieuit malè conſultus adoleſcens; ſed ſtulta ferocitate ſic affatus eſt ſupplicem populum: *minimus digitus meus groſſior eſt dorſo Patris mei, & nunc Pater meus poſuit ſuper vos iugum graue, ego autem addam ſuper iugum veſtrum. Pater meus cecidit vos flagellis; ego cadam vos ſcorpionibus.* Quid ſuperbius? mirum ſi Dauidis Regnum manſuetudine ſuffultum in tantæ arrogantiæ homine permaneret, non permanſit, illicò ſequuta eſt defectio populi, & Regni proſciſſio. *Qui ſcorpionibus cædit*, ait Hieronymus, *& lumbis Patris habere ſe putat digitos groſſiores citò regnum manſueti Dauid diſſipat.* Obſequium, quod lenitate, ceu dulci tyrannide obtineret, per ferociam amittit, nimirum

3. Reg. 12. v. 7.

v. 10.

D. Hieron. ſupra.

indignatur libertas si opprimitur, nemo plus impetrat à libero, quàm qui seruire non cogit.

Meminerint, quæso, Principes cur Deus hominem condiderit, cur ad similitudinem suam effinxerit: certè vt reliquis animantibus dominaretur: vt *præsit piscibus maris, & volatilibus cæli*, adeò est hominum imperare, à Deo imperantium esse humanos, id est, Deo similes, cuius nimirum primum, & maximum imitamentum in lenitate, & clementia consistit, teste Dionysio; vnde sapientia proclamat: *Tu autem Deus noster suauis, & verus es, patiens, & in misericordia disponens omnia*. Contrà totum illud ambitiosæ potentiæ choragium, quod regnantes circumstat, ni comitate temperetur, feras potius, quam homines refert. Mos erat Regibus Macedonum in publicum prodire capite leonis exuuijs redimito; nimirum se Hercole prognatos iactabant. Sed quæ ista Principis species terrorem, & feritatẽ habitu ipso gestire? oportunè tamen leonem induerunt Reges impij, & crudeles, quibus & si leonis rictus defuit, non tamen hominum vorax sæuitia, qua feras nimis opposité referebant: nam *leo rugiens, & vrsus esuriens princeps impius super populum pauperem*. Qua itaque cura verè Augustum Principem, quam belluam, Deo quam feris similem esse mauis,

Gen. 1. 26.

S. Dionis. epist. 8.

Prou. 28. 15.

eadem

eadem cole humanitatem Diuini Imperatoris tesseram longe charissimam.

§. XIII.

Acta maximè verò propria prius accuratè expendat quàm commendet Princeps.

V*Idit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Sanè non nisi bona esse potuerunt Dei opera, non tamen ea ipse bona prius deprædicat, quam accuratè examinauerit. Nimirum quod erat toties iudicibus commendaturus voluit ipse iam tum à rerum exordio opere explere, scilicet ne cuiuspiam opera probent, vel reprobent priusquam diligentissimè examinent; nec aures modò, sed oculos etiam disquisitioni diligentissimè adhibeant. *Apud Moysem inter vetita legitur*, inquit, Philo, *non admittes auditionem vanam; vbi non tantum interdicit ne quis falsum sermonem, aut stultum accipiat auribus; sed docet quod ad manifestam veritatis perceptionem longè minùs, quàm visus idoneus habeatur auditus.*

Gen. 1. v. 31.

Philo lib. de confus. ling.

Toto orbe percrebuerat, cælum lacessebat nefarius ausus condentium turrim illam Babylonicam. Et tamen animaduersurus in eos Deus non prius damnare voluit, quàm oculis ipse

Gen. 11. 5

ipse suis facinus cerneret. *Descendit autem Dominus vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam.* Mira sanè verba; an oculis cernere omniscius, & vt cerneret descendere habuit immutabile Numen? sed audi rem præclarè expendentem Doctorem Angelicum. *Nota,* inquit, *quod in hoc modo loquendi docet rectum, & ordinarium processum iudicij: nam culpa prius debet esse certa iudici: & ideo oportet vt ipse, vel ad se conuocet iudicandos; aut si hoc modo bono fieri potest, quod ipse vel per se, vel per subdelegatos iudices ad loca eorum accedat.* Adeò oportet prudentem iudicem, non aures tantum; sed magis oculos fideliores scilicet testes adhibere propositis causis, antequam de ijs iudicium ferat. Proinde singulari rei exaggeratione perhibetur Deum iudicaturum proiectissimæ audaciæ facinus, totoque orbe decantatissimum descendisse tamen vt videret.

S. Tho.

Ita sane est. Valde res omnis expendenda, oculisque lustranda priusquam de illa sententiam feramus. Sed tamen singulari, potissimáque ratione id præstandum venit in rebus nostris, vt eas diligentissimè scilicet intrò, & circum lustremus, antequam probemus. Est enim vitium omnium maxime insitum à natura hominibus, vt sua quamuis pessima colant, *Via stulti recta in oculis eius.* Ait sapiens.

Prouerb. 12.

Plane

Plane ſi recta foret re ipſa, non ſtulti via foret. Deuia itaque eſt. Et tamen in oculis eius recta eſt. Ita res vertit, iudiciumque peruertit ſui amor. Amant verò ſua omnes. Et dum amant majora quàm ſunt, melioráque exiſtimant.

Amor cœcus pingitur, ceu verius fingitur; nimis enim ille oculatus eſt; ni fortè ob id etiam cœcus iure maximo dicendus venit quiſquis non videnda videt. Lippientibus, & ebriis ſingularis lucerna multiplex apparet, hac ratione intelligas Theophraſtum aientem: *Amantum cæca eſſe iudicia* quod cœcitatis genus haud illepidè expreſſit his verbis Epigrammatarius ille.

Theoph. apud D. Hier. ad c. 10. Oſeæ.

Proxima, quòd noſtris ſit, maxima luna videtur
Senſibus, ex ſeptem ſit minima illa licèt.
Sic vatum videor, quia ſum mihi proximus ipſe,
Sim quamvis minimus, maximus eſſe mihi.

Ouuenius epigram.

Facit hoc ſui amor, vt ſua cuique majora, quàm ſunt appareant. Mirum eſt quod habetur apud Ioannem Euangeliſtam: *Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis*, inquit Chriſtus Dominus, *docebit vos omnem veritatem. Non enim à ſemetipſo loquitur; ſed quæcumque audiet loquetur.* Quot hîc difficila? Spiritus ſanctus à ſe ipſo non loquitur? ab alio. quæ loquatur ediſcit? & hæc cauſa docendi veritatem? ita explicat, ne dicam magis implicat, rem Abbas

Io. 16. 13.

Rupert. Rupertus aiens: *Quasi si à semetipso loqueretur, non veritatem, sed mendacium loquuturus esset.* Quid durius? sed audi sensum, Spiritus sanctus vi proprij characteris Amor est, Christus Dei Verbum, eiusque sapientia, veritasque; ergo ne homines, qui nimis habent expertum vi amoris rem exaggerari, & aliter quàm est concipi, per summam tamen insipientiam, arbitrentur simile quidpiam in Spiritum sanctum, vt deitatis amor est, cadere posse, tantùm suggerat, quæ Christus docuit, qui Dei sapientia est!, nequierat planè aliud, quàm veritatem docere Spiritus sanctus, vt tamen hoc penitus constet hominibus, facem præferat ipsius sapientia Christus, qui etiam ita factum iri pollicetur, aiens: *ille vos docebit* omnia, & suggeret vobis omnia quæ dixero vobis.

Libet rem totam illustrare, haud injucunda Historiæ lacinia ex Plutarcho deprompta; is itaque refert Phillippum Macedonem pro tribunali sedentem Machetæ cujusdam causam cognouisse; sed dormitabundum, nec satis attentum ad iuris æquitatem; quare sententiam tulit aduersùs Machetam; & cum is exclamasset se à sententia illa appellare; Rex iratus ad quem, inquit (est enim inuisum Monarchis appellandi vocabulum;) tum Machetas ad te ipsum, inquit, ô Rex, si ex-

per-

pergiſci cauſaſque attentiùs audire velis. Et hic quidem Rex ſurrexit. Cæterùm poſtquam apud ſe cauſam accuratiùs expendiſſet, atque comperiiſſet Machetæ factam injuriam, judicata quidem non reſcidit, ſed pecuniam, quâ damnatus fuerat Machetas, ipſe perſoluit.

Multa hic regiæ virtutis documenta, meritóque extollit Plutarchus, quod prouocanti, & oſcitantiam publicè obiicienti non perſeuerauerit iraſci: quòd grauitati ſimul, & rectitudini conſulerit, acta non reſcindendo; ſed errorem ſuis expenſis compenſando. Illud ego in rem noſtram expendo; licere principem à ſe ipſo ad ſe ipſum appellare; à ſe negligenti ad ſe ipſum vigilem, & ſolertem à ſe affectibus diſtracto ad ſe ratione, & conſilio ductum. Placuit itaque magis Spiritui ſancto Dei Verbum; & ſi eundem, cum ipſo Deum, quàm ſe ipſum amoris charactere inſignitum doctrinæ hominibus tradendæ authorem dici. Placuit Numini opera ſua prius viſa, & examinata pronunciari, quàm bona declarari, ne amori ſuorum, non veritati laus adſcriberetur. Vt homines ediſcerent res omnes, maximè verò proprias priùs eſſe diligenter inſpiendas, quàm approbandas, judicandaſve.

§. XIV.

Vnione, atque Concordia res etiam minimæ clarescunt, clarissimæ quoque clariores redduntur.

Gen. 1. 31.

VIdit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Dum singula aspexit *bona* esse dicebat, cum omnia autem simul intuetur, vberiori laude valdè esse bona pronunciat. Ita sanè est. Nihil ita præstans ne ipsius quidem Numinis facinus, quod vnione atque Concordia cum aliis non præstantiùs appareat, iucundiorémque armoniam constituat.

Mycipsæ Regis jam morituri, filiósque ad mutuam pacem, atque Concordiam adhortantis aurea extat sententia: *Concordiâ paruæ res crescunt; discordiâ maximæ dilabuntur.* Proh quanta eius rei exempla prisca, recentiaque proferri liceret. Scipio Africanus cum Numantinos diu victores tandem fregisset, Tyresium Principem Celticum interrogauit, qua de causa vel prius inuicta, vel post euersa fuisset Numantia? Respondit Tyresius: *Concordia victoriam; discordia exitium præbuit.* Si per cuncta sæcula eas, regnaque tum florentia; tum pereuntia inquiras; quæ fuerit prospe-

Salust. de bello Ingurtino.

Brut lib. 2. cap. 4.

ræ, aduerſæque fortunæ origo? haud aliter inuenies, quam concordiam, diſcordiamve extitiſſe.

Mirum eſt quod de Tyrreno, ſiue Scyro lapide prodit Plinius; nempe grandem innatare fluctibus; comminutum verò peſſum ire. Ita ſanè contingit vires maximas, quæ coniunctæ eminebant, ſupernatabantque fortunæ fluctibus, ſimul ac diuiduntur euaneſcere, ſeque ipſas conficere: & quidem eò citiùs, quò illæ maiores fuerint. Vt in curru, ſi rectè imperet Auriga, & equi ſint concordes, dictoque audientes ſpes eſt, talem currum in certamine victorem fore; ſin autem turbari, atque in diuerſa ire cœperint equi, eò maius periculum imminet, quò fuerint equi velociores fortioréſque.

Plin. lib. 2. c. 561.

Ne verò rem notiſſimam longa exemplorum, argumentorumque ſerie probare pergam; nobis ſanè, qui Chriſtiano nomine gloriamur, inſtar omnium argumentorum eſſe deberet, nihil enixius à Duce, ac Magiſtro Chriſto commendatum extitiſſe, quam animorum vnionem, ac pacem, vt hunc ipſum Chriſtianæ Gentis germanum characterem, potiſſimamque teſſeram aſſerere liceat. Sanè hanc fœlicitatem Populis ſub Chriſti vexillis militantibus læto vaticinio pollicebatur Iſaias in hæc verba dulcedinis plena: *& erit opus iu-*

Isai. 32. 17. *stitiæ pax: & cultus institiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Et quidem præstantissimum hujus rei typum habemus Gen.32. Luctabatur constanter tota nocte cum Iacobo Deus, seu eius vicem sustinens Angelus, illucescente autem aurora missionem flagitat inquiens: *dimitte me, jam enim ascendit aurora*; sed quæ isthæc quæso luctam dimittendi causa? an quod illa honestiùs nocte, quàm interdiu exerceretur? alias alij rei causas excogitant; sed placet magis in rem nostram, quam solito acumine exhibet doctissimus Pater Ioannes Antonius Velasquez, asserens: ideò luctam Deum exercuisse nocte, ad auroram verò dimisisse: quoniam nox Synagogam, dies verò Christianam Religionem adumbrat, vt testatur Apostolus: *nox præcessit, dies autem appropinquauit.* Itaque qui olim Dominus exercituum bellico nomine vocari amauit; modò Princeps pacis dici maluit, maturéque per Isaiam monuit fore dicendum: ac inter læta natalium, non aliud Angelus tubis buccinandum voluit, quàm pacis nuncia: *Gloria in excelsis Deo, & in terra Pax hominibus bonæ voluntatis.* Nocte igitur, quæ synagogæ vmbra est, lucta agitetur: ad Christianæ autem

Rom.13. 12.

Luc.1. 14.

legis

legis Auroram, jucundámque lucem, pacis conſilia tractentur. Eſt enim Chriſtianorum teſſera pax. Vt nunc demum Principes noſtri, re ac nomine maximè Chriſtiani mihi videantur, qui depoſito longo, & ferali bello in pacis amplexus mutuo amore ruunt magno totius orbis Chriſtiani gaudio, & emolumento.

Libet omninò, licétque augurari, magna vtriuſque incrementa ex ſaluberrimo iſto Pacis conſilio. Nam vt res paruæ pace, ac vnione inualeſcunt, ita magnæ eiſdem rationibus validiores, majoréſque redduntur; cum & ipſa Dei opera, quæ ſingillatim ſumpta bona ſunt viſa, vnionis pulchritudine addita, majori bonitatis laude commendentur: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.*

CAPVT II.

Ex CAPITE SECVNDO Geneseos aliqua Diuina Oracula ad Politicam expensa.

§. I.

Augustius fructuosiúsque Principis facinus est Religionis cultus.

Gen. v. 2.

COMPLEVITQVE *Deus die septimo opus suum.* Negotium facessit interpretibus sensus horũ verborum, & cohærentia cum sequentibus. Quomodo, inquit August. Deus septimo die opus suum compleuisse dicitur, in quo nihil noui creasse legitur; imò disertè dicitur requieuisse prorsus die illo Deum ab omni opere patrando. Verum idem Augustinus nodum soluit idoneè satis ad rem nostram in hæc verba: *dicitur compleuisse die septimo opus suum, quia ipsum benedixit, & sanctificauit, opus enim est benedictio, & sanctificatio.* Et verò omnium præstantissimum opus, quo

Augustinus.

quo vno delectatur Deus, vt reliqua etſi præſtantiſſima, atque pulcherrima, quaſi eum fatigaſſe videantur, & requiem capere habuerit, quam non niſi die ſeptimo diuinitatis cultui, & contemplationi ſacrato inuenit. *Et requieuit die ſeptimo.* Ad quæ verba ita ſapienter diſſerit Lyranus: *requies ponitur pro contemplatione deſiderij, & ſic Deus requieuit in ſe ipſo.* Hoc Numinis jucundiſſimum nobiliſſimúmque opus ſui ipſius contemplatio: hoc reliquorum operum complementum, atque coronam eſſe voluit. Quo perſpectum habeant Principes; nihil ipſis chariùs eſſe oportere, vt nihil eſt glorioſiùs, vtiliúſque, quàm Religio in Deum, eiuſque cultus, & malè pereat Pſeudopoliticorum prudentia, ſeu veriùs projectiſſima impudentia; qui religionem ſtatui, non ſtatum religioni ſubmittere docent. Rem otioſam putant, ac infrà majeſtatem, & prudentiam Principis vacare diuinis, pietatem niſi fortè ad ſpeciem colere.

Nicol. de Lyra.

Sed quando regiminis normam, non à tenebrioribus iſtis; ſed ab ipſo Mundi rectore, & conditore Deo capere eſt conſilium; age diſpiciamus quo ordine ipſe mundum conditum regere inſtituerit. Compleuiſſe dicitur opus ſuum die ſeptimo. Cur ita? vtique, quia peracta creatione, tum guber-

gubernationi incumbit, quæ operum complementum, & perfectio est; adeóque ipsi diutiùs, ac etiam æternùm indulget Deus. Nam de isto opere administrationis, vt gubernationis rerum Saluator dicit: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*, vt commentatur Augustinus in hunc locum.

Io. 5.

Pende modò quod regimini suo initium dederit Numen, quid patrauerit die isto suo celebratissimo; quem vnum mane, vesperéque immunem id est limitis nescium æternúmque esse voluit? *benedixit diei septimo, & sanctificauit illum.* Id est, diuino cultui, religioso otio, præstantissimo negotio destinauit. Ita gubernationem orbis auspicatus est potens Rector Deus. Cuius sanè vnum exemplum instar totius argumenti esse par est. Cui vis mente, aut pietate prædito: *Non quia bonum* (inquit Tertullianus) *idcircò auscultare debemus; sed quia Deus præcipit: Ad exhibitionem obsequij prior est Maiestas diuinæ potestatis. Prior est authoritas imperantis, quam vtilitas seruientis.*

Tertul. cap. 4. Pœnit.

Verùm enim verò, si quis forte ita est comparatus, vt homines potiùs, quàm Deum auscultare velit, cùm est de hominum regimine sermo, libet paucis indicare quinam fuerit sapientissimorum, etiam ex Ethnicis,

de

de religionis cultu ſenſus. Sanè cum Romulus Reipub. illius omnium florentiſſimæ, & quæ tot ſæculis Orbis imperium obtinuit, fundamenta ieciſſet, ante omnia conſtituit vt Regis munus præcipuúmque foret Religionis curam ſubire; *Hæc Regi elegit officia* (ait Ioannes Roſſinus) *primum quidem templorum eum, ſacrificiorúmque obtinere principatum, agique per eum omnia in honorem, cultúmque Deorum.*

Roſſin. de antiq. Rom. lib. 4.

Idem conſtituit Plato in illa ſua laudatiſſima Republica morem Ægyptiorum probans, quos eruditionis gratiâ adiit, atque hoc nomine præcipuè laudat: *apud quos*, inquit *non licet Regem abſque ſacerdotio imperare: quin imo ſi ex alto genere quiſpiam Regnum vſurparet, cogitur ſtatim ſacris initiari, vt Rex ſit & Sacerdos.* Quem morem illi ex ſacra veri Dei lege per Moyſem explanata deſumpſerunt, quæ potiſſima ratio Platonem adegit, vt lege inſtruendus Ægyptum contenderet teſte Ambroſio; nimirum; *vt Moyſis geſta, legis oracula, & Prophetarum dicta cognoſceret.* Et quidem ex capite 14. Geneſ. liquet magnum illum Melchiſedech Regem Salem, Dei etiam altiſſimi Sacerdotem extitiſſe. Atque D. Thomas Angelicus Doctor rectè commemorat vtramque dignitatem regiam ſcilicet, & ſacerdotalem per vniuerſos tribus coniunctam

Plat. lib. 26. De Regno.

S. Ambr. ſer. 18. in Pſal. 118.

D. Th. in Epiſt. ad Hebræos cap. 7. lec. 1.

iunctam fuisse. Quem etiam morem aliæ gentes sic amplexatæ sunt, vt apud Græcos, Romanósque nefas fuerit Imperium à sacerdotio, & Religionis cura seiungere. Vt peruium sit Pseudopoliticorum, profanam iuxta, ac stultam prudentiam exibilare, qui regiminis oracula quæsituri Ethnicos adeunt, cum quicquid apud istos laude dignum extat à nobis fuerit emendicatum. Sed tamen illud iniquiùs quod gentium ritus lustrantes, si quid impium inuenerint excerpant, pietatem æmulari recusent.

Rosſ. de Antiq. Rom. lib. 3. cap. 5.

Sanè veteres illi Romani fortitudine, & rebus gestis inclyti, quoties ad res gubernandas siue ciuiles, siue bellicas conueniebant, ante alia omnia quidpiam circa Deorum cultum, & religionis augmentum statuebant. *Antiquius ad salutem publicam rati*, ait Plutarchus, *si magistratus Deos suspicerent, quàm hostes superarent*. Et erit ex Christianorum cœtu, qui existimet è Repub. non esse pietatem colere, & Religioni indulgere. Accipe rei causam præclare pro more ab Aristotele traditam: *Princeps*, inquit, *circa Deorum cultum afficiatur vehementer: minùs enim formidant populi ne quid contra iustitiam fiat, si religioni deditum illum existimabunt, ac Deorum timorem habere.* Ita omninò euenit. Non aliud firmius Regis satellitium, quàm pietatis

Plutar. in vita Marcelli.

Arist. lib. 5. Polit. cap. 11.

tis

tis opinio. Nemo non timet pariter, ac reueretur, quem Deo charum, & cordi eſſe arbitratur. Hinc Rex Perſarum Mida vna ſanctitudinis, & pietatis fama imperium ſeruauit perpetuum, fauſtum, tranquillum, quod multo bello, & ſudore aſſequi nequiſſet. Vt iure maximo exiſtimauerint Romani vtilius eſſe ad ſalutem publicam, *ſi magiſtratus Deos ſuſpicerent, quàm ſi hoſtes ſuperarent.*

Iuſt. Hiſtor. lib. 11.

§. II.

Principis eſt Populi commodo, ac etiam honeſtæ voluptati prouidere.

P*Lantauerat autem Deus Paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem, quem formauerat.* Poſtquam eſt Religioni conſultum, proximus labor Principis eſt ſubditorum commodo inuigilare, & quidem ita proprius, *vt nihil aliud ſit Imperium* (iuxta ſapientum definitionem apud Amianum) *quàm cura ſalutis alienæ.* Nouerat id Iuſtinianus Imperator, hanc ſibi ſucceſſoribúſque ſuis legem imponens; *Quod communiter omnibus prodeſt, hoc rei priuatæ, noſtræ vtilitati præferendum cenſemus. Noſtrum eſſe proprium ſubditorum commodum*

Gen 2. v. 8.

Amian. Marcell. lib. 30.

Iuſt. l. vnica C. de caducis tol. lendis.

modum imperialiter existimantes. Pende vocem *Imperialiter* pulchrè appositam, qua Princeps Sapiens dignitatem suam agnoscit, vt onus etiam dignoscat, mimirùm populo prouidere, eius saluti perpetuò consulere.

Quid est, quod Deus constructurus Euam, non illam ex capite Adami, non ex manu, vel pede, sed signatè ex latere ipsius eduxerit? *Et ædificauit Dominus Deus costam, quàm tulerat de Adam in mulierem.* Sanè vt Principibus documento esset, eorum munus esse subditos sibi omni cura, & solicitudine fouere, ac protegere sicut brachium, latus sibi subjectum contegit, ac fouet. Adamus, Principem; Eua, subditum referebat. Id nemini ignotum; vt pote à Deo ipso proclamatum sic eam alloquente: *Sub viri potestate eris.* Sed audi, quomodò verba ista explicet Procopius: scilicet *vt ab eo nutriaris & fouearis.* Ideò ex latere Adæ conflatur ait Basilius Seleuciensis; *quia fouetur, & tegitur à manu latus ei subjectum.* Vt appareat ex quo Principes esse cœperunt; eorum munus esse subditos sibi protegere, atque fouere æquè ac regere; atque optimè in rem nostram definiisse videatur Tullius: *Itaque illud patrocinium Orbis terræ veriùs quàm imperium poterat nominari.*

Gen. 2. 22.

Gen. 3. 16.

Procopius.

Basil. Sel. ibid. hom. 2.

Tul. l. 2. de Offic.

Neque verò vtilitati tantùm populorum, sed

ſed honeſtæ etiam voluptati conſulere debet Princeps. Eſt enim illa reuerà humanæ vitæ condimentum, quam proinde ſolers natura per omnia ſparſit, vt tot aſpera mitigarentur. Illa (vt habet Syneſius) vinculum eſt animę ad corpus; alioquin fugituræ, ſi aſpera vbique, & formidoloſa obuerſentur. Mulcendi itaque ciues publicis ludis; quæ animos exhilarent, Principis majeſtatem, amorémque commendent, Ambulacra, Porticus, elegantiora Fora, alia loca publica ad ſplendorem pariter & commodum extruenda. Ita Iulius Cæſar; ita alij præſtantiſſimi quique Reges factitabant.

Non hic commendo Circi furorem amphitheatri ſæuitiam, & probroſam theatrorum laſciuiam. Abſit à nobis id ſceleris; *Nam quid hoc eſt, niſi* (vt rectè ait Tertullianus) *ſuffragiorum impiorum æſtuarium, cathedra peſtilentiarum, vbi aër, qui ſuperiacebat ſceleſtis vocibus conſturpratus.* Quid impudentius, quam vitiorum ſpurciſſima in Theatra duci, coram cœlo, & ſole ceu de triomphato pudore? non etiam probo vaſtas pecuniarum ſummas multo miſerorum gemitu extortas in ludicris ſpectaculis edendis profundi, laborantibus interim inedia militibus, qui ſalutem publicam ſanguine, & ſudore ſuo tuentur. Quid enim hoc iniquius, & abſurdius eſſe poteſt?

Tertull.

test? Sanè nihil è Republica, & Christiani Principis munere magis esse arbitror, quàm hujusmodi ludis modum imponi. Viros pietate, & prudentia conspicuos præficere, qui curent, vt intrà modestiæ, & honestatis fines spectacula contineantur.

Sed neque tantæ seueritatis legem induco, vt vniuersam scenam proscriptam velim, modò ab omni verborum, & gestuum lasciuia purgetur; nec eo tempore theatra plaudant, quo luget Ecclesia. Imo sanè Regum inaugurationes, filiorum natales, nuptias, victoriásque publicis gaudiis, honestísque ludis celebrari æquum, & vtile est. Nec deerunt tum præstantibus ingeniis argumenta, quibus & scenam ornent, & animos spectantium recreent; quin animas lædant, & mores inficiant. Si Heroum gesta, vrbium obsidiones, præliorum facies, belli stratagemmata referant. Si Aulæ elegantiam, Principum colloquia honestis coloribus exprimant, & populum demulserint, & fortiorem, sapientiorem, vrbaniorem dimiserint.

Eos etiam ludos permittat, & foueat maximè Princeps, quibus juuenum mentes in voluptatem pronæ à clandestinis effœminatísque illecebris non injucundè auellantur; sibíque, comparent corpora robusta, vegeta, membra compacta, artus enodes, & mi-

litiæ laboribus pares; quales equitatio, venatio, pilæ luſus, armorum congrua exercitatio. Sic præluditur fortitudini, & verò præluſere laudatiſſimi antiquitatis heroës. Diuus Auguſtus poſt finem ciuilium bellorum ab exercitiis campeſtribus ad pilam tranſiit. Et Quintus Mutius Sceuola Augur ille eadem capiebatur. Quin & Plato tantus philoſophus florente iuuenta Olympionius clarus extitit, atque in ea arte multis notus euentibus. Venationem affectauere Mithridates, Adrianus, Carolus Magnus, Henricus Primus, & Albertus Imperatores. Et laudatiſſimè Magnus Traianus Cæſar, de quo ita Plinius: *Quando influentibus negotiis paria feciſti inſtar refectionis exiſtimas mutationem laboris. Quæ enim remiſſio tibi, niſi luſtrare ſaltus, excutere cubilibus feras, ſuperare immenſa montium iuga, & horrentibus ſcopulis gradum inferre, atq; inter hæc pia mēte adire lucos, occurſare numinibus.*

Petrach. Dial. 26.

Ibid. Dial. 29.

Plin. in Paneg.

Subit lugere quod verum numen non cognouerit, qui vana ſic impensè colebat. Sed adeſt in ſolamen ex Hiſpanæ aulæ proceribus Traiani virtutis æmulator, verique Numinis impiger cultor B. Franciſcus Borgia clariſſimæ Ieſuitarum familiæ æternum decus, quo nos etiam auorum noſtrorum ſtemmata decorante in primis gloriamur & lætamur. Is, cum in Caroli Auſtriaci Imperatoris aula Dy-

naſtam ageret, aucupium amabat, & crebrò exercebat, vt ex cœli liberiùs conſpecti amplitudine, & ſplendore, ex florum, arborum, & agrorum multicolori ornamento, ex accipitrum ingenio, & fide in Dominos, ex captarum auium fortuna acriter ſtimularetur ad Deum authorem, & moderatorem eorum mirabilium amandum, & collaudandum; vicem eorum doleret, qui adeo honeſto, vtilique oblectamento ſpreto, fœdis obſcuris, noxiiſque incumbebant; alios plures, varioſque fructus ſalutares caperet, quos fideli ſtylo commemorat eius facinorum diſertus ſcriptor Io: Euſebius Nierembergus.

Nierem. lib. 1. vitæ B. Franc. Borgiæ c. 11.

O fælicem aulam, quæ talem obtinuit Dynaſtam? fælices aulici, qui talia lenocinia curarum, taleſque ludos caperent! puto hæc erat facies populi Iſraëlitici ſub Juditha Heroina inclyta exultantis, quam ſacer hiſtoriographus indicat dicens: *erat autem populus jucundus ſecundùm faciem ſanctorum.* Sanè nihil amœnius, nihil honeſtius populari iucunditate ſic inſtituta: nihil magis è natura, magiſque neceſſarium ad tolerandos varios, & multiformes vitæ caducæ labores: Vnde Plato ſic monet: *quia ei, qui laborat neceſſaria eſt requies, & ludus requietis causâ comparatus eſt; negotiaque cum labore, & contentione animi coniuncta ſunt, ob eam cauſam iocus adhibendus obſeruata*

Judith. 16. 14.

Plat. lib. 8. de Rep. c. 3.

obſeruata eius occaſione, vt tanquam medicina loco adhibeatur. In eandem ſententiam ſcribit Platonis auditor Ariſtoteles, aſſerens ludos eſſe quid neceſſarium in vita)eos tamen oportere eſſe liberales, & honeſtos. Adeoque curandum Principi, vt per idoneos, & honeſtos ludos populorum animi quandoque exhilarentur.

Ariſt. 4. Ethicorum.

Quam præclarè hanc curam expleuit ſummus Rerum Imperator, idemque Parens indulgentiſſimus Deus, cùm plantauit Paradiſum voluptatis in quo hominem conditum mox poſuit. Et quantæ voluptatis (proh ſacrorum oraculorum fidem) nullus ibi hyemis rigor ad focum, & fumum pellentis; nulla æſtus ſæuitia ad latibula cogentis, vim omnem retundentibus, tum benignioribus ſolis radiis, qui fælicem plagam fouebant, tum blandis fauoniorum animis, quorum placido murmure regio tota ventilabatur. Pratorum herbida viriditas intermicantium florum luminibus picturata perpetui veris imaginem referebat. Hinc nemorum tractus denſo frondium veſtitu diffuſi, quas inter gratiſſima petulantia curſitabant auiculæ vario plumarum genere cum foliis, & fructibus de pulchritudine certantes, & fractis vocularum modulis auribus lenocinantes. Sed & tygres, vrſi, leones, cunctaque animantium genera ſedulo

parebant hominum imperio, pladicissiméque blandiebantur omni feritate deposita. Quid multis? in illo Numinis promptuario nihil deerat, quod siue ad vtilitatem, siue ad iucunditatem optari posset. Præclarè id indicauit Moses breuibus quidem, sed plenis sensu verbis istis: *produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue.*

Gen. 2. v. 9.

§. III.

Aduersùs imminentia pericula Religionis arma imprimis autem Eucharistica adhibeat Princeps.

Gen. 2. v. 9.

L*Ignum etiam vitæ in medio Paradisi: lignumque scientiæ boni, & mali.* Ea est rerum humanarum conditio, periculis circumdamur, hostes non deerunt, ergo capessenda arma; militia enim est vita hominis super terram, & quidem erat etiam primæuis hominibus in amplissimo illo iucunditatis, & fœlicitatis totius theatro. Quid nos miseri pacem, & tranquillitatem diu mansuram expectemus, erat in Paradiso insidiator Anguis, malum portendens, inferensque lethiferum incautis Arbor. O quot insidiis, quot periculis patemus; sed quæ

quæ arma tot hoſtibus, periculiſque paria? ſanè vna cœleſtia. Principes alloquor, quibus eſt in Deum cœli fides, & fiducia illibata; quibuſque compertum nihil vnquam fœliciter geſtum eſſe vbi Pietatis adminicula neglecta; nihil non proſperè vbi ea adhibita. Inter Religionis autem arma primum locum jure maximo obtinet Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Exerendus hic potens gladius, atque hoſtibus obiiciendus vbi grauiora pericula imminent.

En pulcherrimum rei ſymbolum à Numine exhibitum in prima Monarchiæ iſtius ſpectabilis inſtitutione. Vulgatum eſt, apud ſacros interpretes lignum illud vitæ (quod inter cæteras Paradiſi arbores præclarè eminebat) vmbram extitiſſe Euchariſtici myſterij, quo vera, æternaque hominum vita continetur. Ita D. Auguſtinus, & alij, quos longum foret enumerare. Hoc itaque lignum oppoſuit Deus ligno ſcientiæ boni, & mali, vnde hominibus exitium imminebat. *Lignum etiam vitæ in medio Paradiſi, lignumque ſcientiæ boni, & mali.* O vtinam prioris illius ſalutiferi, vitaliſque ligni dulcedinem adamaſſet Eua, non poſterioris virus infauſtè curioſa hauſiſſet; ſibi, nobiſque ſaperet; omnes antiqui hoſtis inſidias, vireſque rideret. Nimirum agnatum hoc eſt Euchariſtico ferculo, vt aduerſus hoſtium im-

pectus sit validissimum telum ; aduersus ingruentia mala præsentissimum remedium.

Agnouit hanc Eucharistiæ virtutẽ Princeps noster verè Catholicus Philippus IV. Magnus Hispaniarum Monarcha. Concusserant vndique imperium nuperis annis potentissimi hostes, iunctis manibus Ibera regna inuadebant, funditúsque euertere parabant. Quid tum Rex Philippus? Augustam Eucharistiam in Regiam duci, & solemniori pompa deinceps coli iussit. Ecquod hoc consilij in tanta rerum turbatione, tot inter pericula? vtique sapientissimum; sed expendamus interim non absimile Estheris Reginæ in simili euentu decretum. Constituerat nequissimus Aman vniuersam Hebræorum gentem Estheris contribulos ad internecionem delere, tutelam innoxij populi in se recipit pia Heroina. Sed quibus artibus tutari instituit? conuiuium splendidum parat, rogat Assuerum coniugem, vt conuiua esse velit, comitemque ducat Amanum. *Obsecro*, inquit, *vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium quod paraui.* Mira equidem hostem infestissimum excipiendi ratio, ferro magis, quam dapibus excipiendum diceres. Huic sacræ literaturæ extricando nodo accedant humaniores administræ. Paulus Emilius post claram victoriam apud Macedones obtentam aduersus Per-

Esther. 5. v. 4.

seum,

ſeum, ſocios duces opipara cœna exhilarauit, adjecitque: *eiuſdem viri eſſe armatam aciem quam maximè terribilem* & conuiuium quàm iucundiſſimum ſtruere. Sanè, ſi id vniuerſim verum foret, non adeò eſſet magnorum Ducum inops æuum hoc. Cœterum Emilius opere firmauit dictum ſuum, idem victricis aciei, lautique conuiuij ſtructor.

Plutar. in ſym. 1. q. 1.

Sed tamen illuſtrius dicti illius argumentum eſto, quod idem prætulerint oracula ſacra, ita de Numinis ſapientia teſtantia: *propoſuit menſam ſuam, miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem, & mœnia ciuitatis.* Eiuſdem ſolicitudinis nimirum fuit menſam adornare, & claſſicum canere, vrbiſque propugnationi conſulere. Lautiſſima menſa, omnium quotquot propoſuit, aut etiam excogitare valuit Numen eſt Euchariſtica, de illa veriſſimè dixeris. *Ejuſdem eſſe armatam aciem quàm maximè terribilem, & conuiuium quàm iucundiſſimum ſtruere.* Manna notiſſimum Euchariſtiæ ſymbolum, inſtar erat ſeminis coriandri teſte Diuina ſcriptura, & coriandrum, adnotante Oleaſtro, juxta vim Hebræi Idiomatis tantundem eſt ac *exercitū ponere* Hebrææ vocis energia præclare delineante rem ipſam; cum grana illa ingenti copia, & cohortium ritu digeſta prodeant. Ita antiquum eſt Euchariſtiæ inſtru-

Prou. 9.

ctæ aciei, & fortissimorum agminum speciem referre, virtutem exhibere.

Longiusculè recessisse videmur à proposito Regis nostri Philippi, Estherisque Reginæ consilio. Sed vt reditu vtrumque magis clareat. Habes Eucharistiam instar esse fortissimæ, victricisque aciei. Rectè igitur Ester Amanum debellatura mensam parauit, conuiuium objecit Eucharistici vmbram. Nec spes eam fefellit. Meditatum scelus in caput hostis vertit, probrosa morte extinxit, quam ipse in Israëlitas excogitauerat. Sed rectiùs Philippus Rex veram, viuidámque, non vmbratilem Eucharistiam pertinacissimis hostibus, grauissimis periculis opposuit. Faustè, fœliciterque cecidit. Quotquot Hispanici Imperij splendorem obliquè intuentur, amplitudinem ægrè ferunt, plaudebant exitio, ceu mox conspiciendo, Sed versæ sunt vices. Vicit Philippi fides, claruit sapientia, enituit fortitudo toto pugnantis in Orbe, vt alibi expendimus. Patuit Eucharistiæ virtus, quâ fretus Princeps Catholicus cominùs, eminúsque, vt licuit, pro Imperij vastitate, & hostium multitudine certans omnium impetus retudit, vires fregit; donec tandem optatissima pace stabilita, lætísque Orbi Christiano, cum Christianissimo Rege connubiis Serenissimæ filiæ celebratis beatam tranquillitatem

tem ciuibus intulit. Spem diutius effugiendi vindicem gladium refractariis abſtulit.

Atque totum hoc, quantum eſt fœlicitatis, & triumphi Numini Euchariſtico acceptum refert Philippus. Ac vt jure referat, commemorare libet quomodo celeberrima vrbis Illerdenſis expugnatio, quam præſens fortiter,fœliciterque confecit Princeps noſter die decimo quinto menſis Maij anno ſalutis 1644. Contigit, quo nimirum Orbis Chriſtianus, & ampliſſima pompa Curia Philippica Euchariſtico ſacramento triumphum agit. Plurimas ille certè, claráſque victorias manu propria conquiſitas enumeraret, vt eſt eximia fortitudine, & animi celſitudine clarus, ſi vaſtiſſimi Imperij tot hoſtium machinamentis circumquaque concuſſi ratio non poſtularet, vt cordis inſtar medium teneret, animos, viréſque in diſſita membra æquabili fluxu diſpenſaturus. Sed quando ita poſtulat, lignum vitæ Euchariſtiam in medio Imperij eminere ſtatuit, victoriarum omen, ſiue cominus, ſiue eminus pugnare contingat. Vt hic aptiùs longè, quàm in eo Emilij euentu dicere liceat. *Ejuſdem viri eſſe, & armatam aciem quàm maximè terribilem, & conuiuium quàm iucundiſſimum ſtruere.*

Cum idem Princeps noſter, & acie fortis, & conſilio prudens, Euchariſtico adornato con-

conuiuio, præſens, abſénſque hoſtes latè ſternat.

Sanè laudatiſſimus Imperator Conſtantinus pietate iuxta, ac bellica gloria inclytus, cum Maxentio decertaturus, exercitu in vnum coacto cunctos exhortatus eſt, vt ſacro Euchariſtiæ ferculo refici, munirique vellent: *Quod ſi quis*, inquit, *hoc tempore noluerit amiculum illud ſibi circumdare, is nunc iam dimiſſus domum reuertatur: nam niſi mecum initiatis in Cælo ſociis vti nolo.*

Theod. lib. 5. Hiſt. cap. 3.

D. Cyprianus Martyr, cum Tyranni Eccleſiam perſequebantur, hoc in primis curabat, vt anathemate perculſi abſoluerentur, iiſque ſacra communio porrigeretur, qua robuſtiores fierent. Dicebátque eos in prælio fortiter pugnare non poſſe, qui his armis induti non eſſent.

Ludou. Gran. lib. 4. Cathec. Dial. 8.

Hôc armorum muniti Othonis Regis milites, exigua manus immenſam Vngarorum irrumpentium vim depellunt, frangúntque, vt teſtatur Baronius. Eſt verò prorſus mirabile, quod apud Æneam Syluium teſtatum extat de Henrico Rege Anglorum, qui cum ab exercitu Regis Gallici circumuentus eſſet ann. 1415. Nec æquiſſimis conditionibus oblatis abire cum ſuis incolumis dimitteretur, militibus ſuaſit, vt Numine inuocato, alter alteri pauxillum terræ porrigeret ob memoriam

Baron. tom. 10. ad ann. 955. Æneas. Syl. lib. 3 com. in Panorm. cap. 50.

moriam venerandi Euchariſtiæ ſacramenti, eiuſque ope freti prælium animosè committerent. Commiſere verò, confeceréque ita fœliciter, vt octo Anglorum millia ſexaginta hoſtium millia fuderint. Cæſa ingens turba, nobilitas Galliæ propè omnis capta fuerit; paucos fuga ſeruauerit. Eóque potiſſimùm die Henricus Gallorum vires fregerit. Adeò profuit Euchariſtiæ etiam memoria piè celebrata. Infinitum foret omnes enumerare victorias, quas Chriſtianorum Hiſtoriæ Euchariſtico ſalutari ferculo acceptas referunt.

§. IV.

Laboribus aſſueſcat, & præliis ſe miſceat Princeps, ſi velit Imperium, & dignitatem ſeruare.

TVlit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſum voluptatis, vt cuſtodiret illum. Sanè ad laborem natus homo, ſiue Princeps, ſiue Plebeius, *non facit ad quod natus eſt*, inquit Bernardus, *ad quod venit in mundum ſi laborem refugit.* Quis amplius, fœliciuſve imperium obtinuit, quàm Adamus? & tamen

Gen. 2. 15.

Ber. ſer. ſuper ecce nos reliq. omnia.

men in illo celsitudinis, ac fœlicitatis culmine constituto, operatio præscribitur, deliciosa quidem illa, vt rectè expendit Augustinus. Sed tamen ita necessaria, vt sine illa obtentum retinere Imperium nullatenus valeret. Terra tum criminis pura, Numinis charitate beata, improbum, quem nunc postulat ad culturam, non exigebat laborem. At aliquis vel honestus, jucundúsque subeundus erat Adamo, vt videlicet pergratissimum illud delitiarum viridarium statis temporibus deambulando conditoris sapientiam, potentiam, munificentiam, tot earum miraculis inspectis collaudaret, & commissam sibi fœlicissimam prouinciam aduersùs æmuli anguis insidias tueretur, vt mulieris imbecillæ sibi subditæ, si fortè impeteretur, præstantissima, qua pollebat sapientia ferret suppetias. Vt denique aduersùs desidiam maximum Magnatum periculum, frequentissimúmque exitium se, suúmque imperium operando custodiret.

D. Aug. lib. 8. de Gentib. ad lit. cap. 8.

Noluit ille, vel iucundissimum laborem subire; Numinis optimi munificentissimi iussa per summam ignauiam neglexit. Lacessitæ per infidissimum hostem debili coniugi, roboris, & prudentiæ, quæ potuerat adminicula non præstitit; proinde iure maximo factum est, vt beatum eius otium in immen-

fos

ſos labores, ampliſſimum imperium, in miſeram, multiplicémque ſeruitutem verteretur. ***Nam qui propter voluptatem deſes eſt***, (inquit Tucydides) ***is confeſtim deſidiæ ſuæ iucunditate, præter quàm quod ſegnis eſt priuatur.*** Opportunè omninò, aptiſſiméque ad inſtitutum noſtrum duplicem ignauorum pœnam expreſſit his verbis ſapiens Græcus; vt nimirum, & ſordidiſſimi vitij infami nota denigrentur; & ſegnitiæ, quam affectabant iucunditate deperdita in grauiores in cidant labores.

Tucid. lib. 1.

Ita omninò ſe res habet. Nemo vnquàm poſt homines conditos Imperium, & claritatem eſt aſſequutus; nemo retinere valuit, niſi per laborem, & dignas viro curas. Nulli Imperio, nulli ſplendori non fuit exitioſa deſidia. Hinc omnis æui Heroibus, quotquot fama colit, mos ſe, ſuóſque ſumma ſolicitudine ab otio ceu vitiorum radice, virtutum nouerca, viuorum ſepultura continere. Lycurgus nobilis ille Lacedemoniorum inſtructor, & virtutis, famæque eorum per ſapientiſſima conſilia Author, pueros à ſeptimo anno in æqualium cœtu exerceri iuſſit, ad cutem vſque tonderi, nudis pedibus ambulare; duodecimo anno tunicam vnam patrio inſtituto ſortiri; neque balnea, neque fomenta ſcire, pueros puberes non in forum, ſed in agrum deduci fecit, vt primos annos non

in

in luxuria, sed in omni labore, & opere agerent. Quibus artibus in eum splendorem excreuit gentis virtus pace bellóque, vt totum Orbem, cunctaque post sæcula in sui laudem, & admirationem rapuerint.

Plutarch. in vita Cat. mai.

Cato Major non tantùm iaculari, & armis depugnare, atque æquitare docuit filium; sed pugillatum etiam, æstum, & algorem tolerare; vortices, & fluctus fluminis superare nando, vt nimirum adolescentulum claritudinis candidatum labore muniret, quo sine quis frustrà splendorem ambierit. Ægrè subierit discrimina, quæ maximi quique Duces, & Imperatores subire habuerunt, vt suis pro dignitate imperent, ad virtutem, & victorias Milites ducerent. Subiitque crebro, & præclaro Cato ipse, qui exemplo suo validiori eloquio Milites fortitudinem, & laborum patientiam docebat. De quo nimirùm ita Lucanus.

Lucan. lib. 9.

——Monstrat tolerare labores
Non jubet.

Suet. in vita Iul. Cæs. c. 57

Tac. lib. 2. Hist.

De Iulio Cæsare sic refert Suetonius; *in agmine nonnumquam, in equo sæpiùs; pedibus anteibat capite detecto seu sol, seu imber esset.* De Othone Tacitus ita affatur: *Nec ille segne, aut corruptum luxu iter. Sed loricâ ferreâ vsus, & ante signa pedester horridus, incomptus, famaque dissimilis.*

Cuius

Cuius etiam virtutis Ducum,& Imperatorum fœlix,fœcundáque parens omni æuo extitit Hiſpania noſtra. Pauca ex pluribus ſuggeram, vt domeſticis exemplis, quibus abundamus, quæque ad ſuadendum plus habere ſolent roboris argumento noſtro vim adiiciam. Ergo de Magno Trajano ſic ſcribit Plinius: *Cum in illa meditatione campeſtri militaribus turmis Imperatorium puluerem, ſudoremq; miſceres, nihil à cæteris, niſi robore, & præſtantiâ differês.* De laudatiſſimo Theodoſio ita Pacatus: *ne tum quidem, cum in aptiorem prouectus, gradum iubere tantùm, & diuidere cum negotiis otium, & parta gloria veluti depoſito frui honore, operam remiſiſti; quin omnium Caſtrenſium munerum numeros primus, aut cum primis obire, ſtare pro ſignis, excubias ſorte agere, vallum ferro, locum bello antecapere, ſpeculatum egredi caſtra metiri; in prælium primus ire, prælio poſtremus excedere; dux eſſe conſilio, miles exemplo.* Carolum V. Imperatorum nulli veterum fortitudine ſecundum ſimili laude attollit Nycolaus Cauſinus priſcis etiam eloquentiæ proceribus ſtyli grauitate, & elegantiâ ſuppar, qui cùm variorum Principum Martium robur celebraret ita Auſtriacum extollit. *Carolum V. per naufragia, & ſyrtes, per Maurorum acies egit ſtricto mucrone, non tam dictis, quàm exemplis ſuos animantem.* Alia plurima

Plin. in Paneg.

Pacat. in Paneg. ad Theodoſ.

Cauſ. de Regno Dei. Diſſ. 24.

rima eiusdem virtutis exempla in aliis Hispanis Regibus Alphonsis, Sanctiis, Ferdinandis, Philippis exhibere liceret. *Magnifica certè virtus* (adiicit prænominatus Causinus) *cui per tot sæcula tot heroës, suis vulneribus, & suo cruore litarunt; sed operosa lectio, quæ non nisi per plagas, & mortes ediscitur.*

Proinde temperanda fortè videbitur prudentioribus huius disciplinæ seueritas, ne postulemus vt militem agat, quem cœlum ducem populorum fecit; quem sol non prius hominem, quàm Regem conspexit, nimis in vnius anima tot millium vitas periclitari. Ladislaus in acie occisus Varnensi pugnâ Christianas legiones prostrauit; omnes vno ictu perculit, cruentum Regis caput conto per victores Turcas affixum. Non sunt Principibus Giganteæ vires, nec commissa fulmina, parum rem inter gregarios promouent, inter captiuos totam euertunt. Rei testes habent, lugentque etiamnum Galli Ioannem, & Franciscum Reges suos. Satis fortiter agunt, si repudiatis florentis aulæ delicijs ipsi suos exercitus ducant, milites vrgeant, omnibus vires, & virtutem infundant. Omnium manibus pugnat, qui manus omnium mouet. Omnibus vincit, qui imperiis, consiliisque suis victorias parit.

Annuo sanè modo & temperamentũ istud ratione

ratione itidem, atque conſilio, quod rei conditio ſuggeſſerit temperari ſuſtineat. Temerarius ſit, qui ſingula heroum facinora, quæ vel ipſi non niſi rarò fortè patrauerint aliis omnibus, ſempérque æmulanda duxerit. Regem cum hoſtibus inter gregarios milites manus paſſim conſerere non decernimus. Cæterùm *ſi pugnare tempus exigit, aut honeſtas iubet (libenter vſurpo in hanc rem diſertiſſimi Cauſini verba) eundem eſt alacri animo in obſtantes hoſtium globos, aciéſque perrumpendæ. Quid habemus præter ancipitem vitam, quam ſi non impendimus gloriæ, rapit neceſſitas? contemnere oportet, quod poſſis perdere. Non ſunt humana tanti, vt pro his & miſeri velimus viuere, & indecores mori timidis, & fugacibus ſua inſtant fata, fidentes ambit læta fælicitas.* Pulchra ſanè verba, quæ magnam mentem produnt, & potentiſſimi Regis inſtitutorem decebant.

Cauſ. ſupra.

Longiſſimè certè à Regia virtute abeſt otio, & delicijs vacare, ſaluti etiam nimis proſpicere, dum ſuos periclitari conſpicit. Annon præclarum eius rei documentum præſtitit noſter ille Alphonſus Ioannis II. Regis filius, & Henrici IV. germanus, qui in memorabili prælio ad Olmedum commiſſo, cui ſtrenuè interfuit, cum à Comite Mirandenſi moneretur, vt ſe diſcrimini ſubduceret, regio ſanè ore, indignabundúſque repoſuit: *Apage vt à*

Alphon. de Palentia.

prælia discedam, in quo Toletanus Antistes, & tot generosi viri pro me periclitantur.

Sed illustrius eiusdem rei argumentum dedit summus rerum Imperator Christus Dominus, qui cum ad dextram cœlici Patris sedere notanter dicatur, vt ea ratione diuinitas ipsius, dignitásque paternę non impar asseratur; in primi tamen Martyris sui, strenuique militis Stephani certamine non sedere, sed stare perhibetur. *Video Cælos apertos*, (inquit lætabundus Athleta) *& filium hominis stantem à dextris virtutis Dei.* Vtique vt militi patienti compateretur, & cum pugnante pugnaret, ita rem præclarè expendit Damianus: *Surgit ipse Rex filius Regis, & lapidantium acies interrumpens, triumphatori certaminis, non sine dolore cordis assistit. Videt opprimi primum, & primicerium purpuratæ cohortis, & grandinaria lapidum densitate fontes sanguinis de corpore Martyris ebullire. Vbi pietas, & misericordia tua Domine, si non compateris patienti.*

Act. 7. 56.

S. Pet. Dam. hom. de Sanct. Steph.

At verò, an non præuiderat Christus hinc ansam arrepturos hæreticos, vt stare visum blaterarent inferiorem esse Patri? vidit sanè, sed maluisse videtur suam apud homines gloriam, & dignitatem periclitari, quam certanti famulo non adstare. Vidit etiam, non nisi lippientibus oculis visum iri ex hoc capite despicabiliorem: apud prudentes viri, summique

mique Regis nomen, & famam indidem reportaturum, quos inter Damianus præfatus ita diſſerit; *Videtur Dominus ſtans à dextris virtutis Dei, ne patre minor eſſe putetur; ſtat cum ſtante; cum bellante bellatur, qui lapidatur in lapidato.* Pende aſſignatam ſtandi cauſam: *ne Patre minor eſſe putetur*, nimirum adeò regium eſt ſuis laborantibus adſtare, & opitulari, vt Martyrum Rex deſineret eſſe Chriſtus, & Patre ſuo minor fieret, ſi muneri iſti deeſſet. Scilicet corrigere habuit errores Adami, qui quoniam certanti cum infenſo angui Euæ conjugi non adſtitit, imperium obtentum amiſit, & cum deploranda ſeruitute commutauit.

Damian. ſupra.

§. V.

Optimi Principis, atque à Deo inſtructi eſt ſua cuique vera, dignáque meritis nomina imponere.

A*Ppellauitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia:* id eſt, nominibus cuique rei congruentibus, eiuſque naturam compendio quodam exprimentibus. Ex quo Adami facinore magnam eius ſapientiam, regiamque poteſtatem infert Chryſoſtomus in hæc ver-

Gen. 2. 20.

D. Chrysost. hom. 14. in Gen.

ba: *Quod magna sapientiâ præditus fuerit Adam disce ex his, quæ nunc fiunt; & adduxit illa ad Adam, vt videret quid vocaret ea, fecit hoc Deus non solum demonstraturus nobis magnam eius sapientiam; sed vt symbolum Domini per nominum impositionem cognoscatur. Nam hominibus mos est hoc facere in signum Dominij, vt cum seruos emerint, ipsorum nomina mutent. Vnde & Adam instruit, vt omnibus brutis, tanquam Dominus nomina indat.* Nimirum, non nisi sapientissimi, & diuinitùs instructi Principis congrua singulis nomina imponere.

Prou. 22. 1. Eccl 7. 2. Ecclesi. 41. 15.

Magna quidem est boni nominis præstantia. *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ*, inquit Sapiens, & Eccles. *melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa.* Atque Ecclesi. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi, & magni.* Cæterùm hæc omnia intellige, si nomen bonum sit ritè, atque ex Dei præscripto impositum; si aliunde irrepat, falsóque imponatur, non gloriam sed ignominiam affert; non permanens; sed caducum erit. Nimirum, vt præclarè tradit Iacobus Apostolus: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum est descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio; nec vicissitudinis obumbratio. Voluntariè genuit nos verbo veritatis.* Cum itaque ex optimis donis, ac datis maximè optabilibus sit

Iacob. 1. 17.

nomen

nomen bonum ; vnde illud quæſo niſi à Deo originem traxiſſet ? ea igitur nomina dumtaxat ſolidam gloriam , & tranſmutationis, obumbrationiſque neſciam contulerint, quæ à Deo emanauerint, quoniam & illa verbo veritatis ſunt impoſita. Quæ enim aliter fictè ſcilicet, atque immeritò imponuntur perniciem afferunt, tum imponenti, tum accipienti.

Proh quanta huius rei teſtimonia ſuggerũt diuinæ pariter, ac humanæ hiſtoriæ. An quia Principi impetum, non rationem ſequenti libuit imbellem conſtituere ducem, inſipientem iudicem, infidum adminiſtrum, victorias, conſilia, ſecuritatem viciſſim reperiet? Imò ſanè imbellis dux clades; fatuus Iudex deuia acta: perfidus adminiſter exitium pariet. Res non nomina ſuum edent fœtum.

Adeamus in rei fidem Aſſueri Regis aulam: ſubitò in ſummi adminiſtri faſtigium euehit Amanum nullius notę niſi fortè ob ſcelera, hominem, de Amalecitarum colluuie ortum, nequitia magis, quàm captiuitate vilem. Multùm laborant interpretes, vt cauſam huius ſublimationis inueniant, nec vlla hactenus occurrit fraudis, & mendacij ſcalis ; Regiſque male conſulti vecordia conſcendiſſe dicendum eſt, aut credendum ; & tamen Principum maximus, ſapientiâ, & fide inter cæte-

Eſter. 3.2.

ros præcellens, Regis quoque Pater ab ipso Rege dicebatur: *& posuit solium eius super omnes Principes, quos habebat; cunctique serui Regis, qui in foribus palatij versabantur flectebant genua, & adorabant Aman; sic enim præceperat eis Imperator.* Contra Mardocheus in eadem aula despectus patibulo etiam, atrocique neci adjudicabatur, nefarius, rebellis, seditiosus, in Regem perfidus regio edicto denuntiatur: ignominiosæ morti simul cum tota sua gente deuouetur.

Esth. 13.

Audisti Amani, & Mardochei fortunam, nominaque apud Assuerum; audi modò vtriusque merita. Duo Eunuchi Regis ianitores in eius necem conspirauerant, id resciens Mardocheus nũciari per Estherem Regi curauit, eáque ratione vitam eius redemit, mulctatis patibulo infidis custodibus. Quid tum Amanus Mardocheum cum tota sua gẽte, dirâ internecione delere statuit. *Aman verò filius Amadati Bugæus erat gloriosissimus coram Rege, & voluit nocere Mardocheo, & populo eius, pro duobus Eunuchis Regis, qui fuerant interfecti.* Sed quod fuerit in ea re Amani consilium audi ex Dionysio Richel ibi: *quia videlicet Aman ægrè tulit, quod Mardocheus accusabit Eunuchos Regi, qui erant amici Aman, atque (vt aliqui opinantur) cupiebant promotionem ipsius Aman in Regem.* Propalatam cernitis

Esth. 12. 6.

Dion. Richel. Ibid.

te-

totam technam. Aman clandeſtinus Regiæ vitæ inſidiator, regnóque inhians Regis Pater dicitur; glorioſiſſimus coram Rege habebatur, fidéq; in Regem præ omnibus inſignis; regiis ipſis ſolemnibuſque inſtrumentis denuntiatur. Mardocheus autem, qui vnus in Regem fidelis erat, vitæque cuſtos, ſeu nefarius proditor, iiſdem regiis edictis infami nece deuouetur. Proh miſeram nominum inuerſionem! An non infelicem Aulam dicas; cœcumque Regem, qui ſic præpoſterè munera, nomináque imponebat? Multum illi ſtetiſſet error, ni criminum vindex Deus nefariis conſiliis obſtitiſſet, & præco ſecretorum tempus vtriuſque merita enuntiaſſet. Verſæ ſunt vices; Aman in patibulum actus eſt, Mardocheus in eius locum, fortunámque ſuffectus. Sed vnde illa nominum inuerſio, fœdáque vicium tranſmutatio? Sanè, quòd magnum illud nomen Amano impoſitum à Deo non fuerit datum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio; quod in conſultis prudentiæ oraculis Aſſuerus nequiſſimum caput, tot præclaris muneribus, ſplendidiſque nominibus ornauerit, in euehentis periculum, in euecti perniciem, longèque vberius dedecus, quàm ſi nominibus illis ab initio caruiſſet: *Magis enim damnabilis eſt malitia*, ait Saluianus,

Saluian. lib. 4. de Guber.

nus, *quàm titulus bonitatis accusat: reatus impij est pium nomen.* Neque verò sustinet prouidus Deus perennare præstigias, aut spurium surculum diu florere. *Omnis plantatio, quàm non plantauit Pater meus* (inquit Christus Dominus) *eradicabitur.* Quod quidem ad nostrum institutum haud incongruè aptaueris his Ennodij verbis: *non firmis radicibus nititur amor indebitus, & citò ad examen reducitur, quidquid gratiæ aura surripuit* Prorsus ita. Quidquid cæco amori, non prudenti judicio superstruitur, breui ruit. Quod Amano contigit, apud Assuerum: Sejano, apud Tiberium: Stiliconi, apud Honorium: Aliis prauis administris, apud alios inconsultos Principes.

Math. 15. 13.

Ennod. Epist. 11. lib. 3.

Itaque ne his periculis se, suáque committat Princeps totam sapientiam, integram majestatem in consilium aduocet, dum est impositurus nomina, muneráque distributurus administris. *Non enim triuiale quiddam est, ô Hermogenes*; inquit Plato, *recta nominis impositio; sed doctissimorum, atque sapientissimorum virorum.* Sanè Moses Barcephas in suo libro de Paradiso tradit Adamum editiori Paradisi loco insidentem, insignique authoritate, & majestate, ac tali vultus splendore quali Moysis faciem emicuisse Exod. 24. memoratur, singulis animantium generibus nomina indidisse

Plato apud Euseb. lib. 2 de præp. Euang. cap. 3.

Moses Barceph. lib. de Parad.

didiſſe vnumquodque nominatim appellando. Tantæ molis res erat congrua ſingulis nomina adaptare.

Haud alibi reperies Numinis majeſtatem ampliori pompâ delineatam, quàm apud Iſaiam, ſedentem nimirum ſuper ſolium excelſum, & eleuatum tanta vi ornamentorum, & decoris, tantóque ſupernorum ſpirituum admirantium plauſu, vt totum templum, terrámque vniuerſam ſtupore, ac reuerentiâ impleuerit. Et quorſum, oro, tantę maieſtatis oſtenſio? Sanè vt idoneum Verbi ſui gentibus annunciandi præconem diligeret. Conſultantis ea de re vox audiebatur: *Quem mittam? & quis ibit nobis?* ac ſi totam Trinitatem in concilium conuocaret rei tantæ expediendæ. Sed quæ tantæ ſolicitudinis cauſa? an quia viri prophetæ deerant? nequaquam ſanè, imò multis florebat ætas illa. Ergò, vt aptiorem eligeret muneri explendo, conſilium inibat. *Neque conſultatio illa diuina*, inquit Arias Montanus, *de Prophetarum defectu*, ſed potiùs de delectu eſt. Ergò ſi ſapiens, ſi magnus videri, & eſſe cupit Princeps, non ad cæci amoris, ſed ad ſapientiæ, integritatiſque normam multo adhibito conſilio, nomina, muneráque diſtribuat: *Tales enim prouehere Principem decet*, ait Theodoricus Rex, *vt quoties procerem ſuum fuerit dignatus aſpicere, toties*

Iſai. cap. 6. 1.

Arias Mont.

Caſ. l.4. Epiſt.3.

ties se cognoscat recta iudicia habuisse. Meminerint quanta cura testatum esse voluerit Deus se animantia omnia in Orbis theatrum eduxisse *in genere suo*, & secundùm species suas: *& fecit Deus bestias terræ secundùm species suas: & iumenta, & omne reptile terræ in genere suo, & vidit Deus, quod esset bonum.* Vtique verè bonum. Sicut prauum, & præposterum est rerum species,& genera inuertere, ineptis viris, quæ sustinere non valeant munera aptando. Nec nisi summæ imprudentiæ est personas agere indoli, & ingenio non consonas quod *toto genere* (vt phrasim à Dialecticis mutuemus) splendidiùs eminet, & speciosiùs apparet passim ambire, non quod tu facilius, & fœlicius præstare valeas. Vnde personatum, non verum nomen habuisse; histrionem non heroëm egisse deprehendaris. Quis non rideat iumentum si aquilæ munus subire, formicam si Elephantum agere gestiat.

Gen. 1. 25.

CAPVT

CAPVT III.

EX CAPITE III. GENESEOS aliqua diuina Oracula ad Politicam expensa.

§. I.

Callida, & Versipellia ingenia omnia ineptissima consiliis, & Reipub. nocentissima.

SED *& serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus, qui dixit ad Mulierem, cur præcepit vobis Deus ne comederetis de omni ligno Paradisi?* Ne aliud, quàm tragicos, funestos euêtus modò enarrandos expectes, ex quo calliditatem in medio prodire cernis, versipellémque anguem humani generis Principibus consiliarium accedere. Credite diuinis oraculis, credite rationis lumini, credite assiduis gentium omnium experimentis, Principes: Non alia ineptiora consiliis vestris ingenia; non alia

Genes. cap. 3. v. 1.

alia vobis timenda magis, certissima pericula, & exitia allatura, quàm quæ se vna aptissima jactant, subtiliúsque penetralibus vestris insinuant callida, versipellia, quæ per fraudem, & malas artes Imperium curari, res esse gerendas arbitrantur.

Quanta acerbitate deplorat Ieremias populi sui flagitia diuinam vindictam mox prouocatura? sed quæ scelera potissimum exaggerat? Vtique dolos, & malas fraudulentiæ artes, quibus se inuicem ludebant; supplantabántque: *Et extenderunt*, inquit, *linguam suam, quasi arcum, mendacij; & non veritatis. Vnusquisque se à Proximo suo custodiat; & in omni fratre suo, non habeat fiduciam. Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium.* Proh miseram iuxta ac flagitiosam populi faciem! quis inter tot fraudes, ac insidias vitam trahat, incolumitatem speret? quomodo veritatis amans Numen gentem mendacē, & dolosam non perdat? *Nam abominatio est Domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei:* & verò perdidit acerbissiméque puniuit, eodem Propheta teste, qui postquam versuti fallacisque populi pessimas artes enumerasset indignabundi Numinis consilium ita pandit: *Numquid super his non visitabo dicit Dominus? aut in gentem huiusmodi non vlciscetur anima mea? super montes assumam fletum, ac lamen*

Ierem. 9. 3. 4. 5.

Prou. 12. 22.

Ierem. 9. 9.

lamentum ac ſuper ſpecioſa deſerti planctum. Iuſtus rerum æſtimator mundi rector, & ſcelerum vindex Deus, fraudes, & dolos demum nunquam non vertit in authorum perniciem.

Hanc legem indixit Deus Salomoni, ſi ſtabile ſibi imperium optaret, fidem, & ſimplicitatem coleret, fraudes, & mendacia fugeret? *Tu quoque ſi ambulaueris coram me in ſimplicitate cordis, & in æquitate, ponam thronum Regni tui ſuper Iſraël in ſempiternum.* Adduxit Cain per fraudem in agrum Abel fratrem innocentiſſimum, & per ſummum ſcelus occidit, vt amplius, & ſplendidius Imperium æmuli ſcilicet exors ſibi firmaret. Sed longè eum ſpes fefellit & deluſere artes. Quod habuit amiſit, & profugus ſeceſſit ad plagam Eden, id eſt (iuxta hebræum fontem) in terram inſtabilitatis commotionis, atq; tremoris, *fuit enim Cainus hac plaga diuinitus afflictus*, inquit Gullielmus Hamerus, *vt tremore concuteretur, & ſtabilis non eſſet, quo ſcilicet fraternæ cædis admoneretur.* Monerenturque poſteri, addiderim ego, fruſtra ſtabilitatem Imperij, famamve per fraudes, & iniquas artes quæri, certiſſimum potius exitium, & dedecus per eas comparari. Neque verò tantùm ſacræ Dei leges; ſed etiam gentium omnium decreta huic doctrinæ ſuffragantur dolos, atque fraudes callidorum artes ſeuerè proſcribunt; nocen

3. Reg. 9. 4.

Gen. 4. v. 16.

Gulliel. Hamer. ibid.

nocentiſſimaſque Reipublicæ, & imperij pronunciant. *Errant*, inquit Ariſtoteles, *qui Rempublicam per ſophiſmata inſtruunt, per mendacia ſuſtentant.* Scilicet nimis ſunt homines oculati vt diu lateat dolus, adeoque ſubſiſtat diu ſuperiniecta moles. *Ficta citò in naturā ſuam recidunt* inquit Seneca, *quibus veritas ſubeſt, quæque vt ita dicam ex ſolido naſcuntur tempore ipſo in maius meliúſque procedunt.*

Ariſt. lib. 4. Polit. cap. 12.

Senec. lib. 1. de Clem. c. 2.

Quis etiam niſi mentis inops gloriam, aut famam ex fraude quærat, cum ſit illa abiectarum mentium notiſſima teſſera inualidioribus belluarum indita, & ſeruilibus ingeniis cognata, itaque in comœdiis non niſi ſerui ad mentiendum in ſcæna producuntur, & in tragœdijs furiæ ad venena, cædes, incendia patranda. Opportunè Sapiens: *opprobrium nequam in homine mendacium.*

Idem. cap. 2.

Id tamen non inficior, aſtus aliquos, aut ſi manis etiam dolos eſſe ferendos; alioquin, non dixiſſet Apoſtolus: *cum eſſem aſtutus dolo vos cepi.* Nimirùm Labeo, & Vlpianus, cæterique Iuriſconſulti, duos diſtinctos dolos, vnum bonum, alterum malum commemorant. Et quod caput eſt Chriſtus Dominus quandam etiam ſerpentis calliditatem nobis commendat; dum iubet eſſe *prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Scilicet prudentes ad cauenda mala à veteratoriis inferenda,

2. ad Cor. 1. 12. v. 16.

Matth. 20. 16.

ferenda ; non ad inſidias ſtruendas, quod primum prudentiæ genus in ſerpente collaudat Regius Pſaltes in hæc verba : *ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.* In quæ verba hæc ſcribit Auguſtinus: *ſentiens carminibus incantatorum captum ſe iri, ne ea exaudiat ſerpens alteram aurē terræ vel petræ admouet, atque apprimit ; alteram verò cauda obturat.* O vtinam hoc calliditatis à calliſſimo ſerpente didiciſſent Protoparentes, ne ſerpentinis carminibus patulas aures exhiberent. Sunt itaque doli aliqui non tantùm permiſſi ; ſed etiam laudabiles ; qualia ſtratagemmata, à quibus Vlyſſem extollit Homerus ; nec parciſcatet ſacra Hiſtoria.

Pſal. 57.

Auguſt. ibid.

At verò icta fœdera violare, miſcere diſcordias; corrumpere miniſtros; fidem datam non ſeruare ; fas, nefas ex vno ſuo commodo, & libidine diſpenſare, hoc Deo, hominibúſque execrandum, & nunquam non exitioſum tandem authori ; pauca tamen aliqua exempla, ſed timenda adiiciam. Oppugnabat Furius Camillus Phaliſcos, trahebaturque bellum, tum ciuium virtute ; tum loci naturâ, quæ munitiſſima erat. Interea magiſter per ſpeciem deambulationis traxit Principum filios ad Romana caſtra ; duci tradidit adiiciens; his obſidibus repetendis neceſſariò vrbem

Sabell. lib. 10.

vrbem imperata facturam, amplissimam mercedem expectabat. Sed tantùm abfuit, ne Romanus ea ratione vincere voluisset, vt proditorem auersatus, qui id persuasum habuisset Romanos dolo, & astu potius quàm virtute bellare, vinctum, nudatúmque terga adolescentibus dederit, in vrbem verberibus agendum. Phalisci, qui nuper omnia pati maluissent, quàm assidentibus cedere, tantæ generositatis attoniti spectaculo voluntaria deditione cessere. Ita Camilli virtus, & ludi magistri fraus pro merito compensata.

Bruss. lib. 3. cap. 19.

Cleomenes Anaxander septem dierum inducias, capta oportunitate tertia nocte dormiens inuadit, multos interficit, alios in seruitutem redegit; obiurgatus verò quòd fœderis fidem non seruasset; ad iusiurandum, ait, noctes non additas fuisse. O præclarum acumen! mirum si tam fœdum scelus inultum ferret rerum Moderator Deus. Non tulit. Nam Cleomenes furiis actus se ipsum à talis vsque ad virilia dilaniauit, ac inter absurdos risus animam efflauit.

Hect. Boet. lib. 12.

Graue, & horrendum est quod subiicio. Heraldus Goduini Anglorum Rex in Normaniam trajecit, caduceatore præmisso ad Gullielmum Nothum gentis Ducem, quo cum imicitias gerebat. Mox & ipse accessit, aiens, se non vulgari Regum more; sed

coram

coram cum Gullielmo agere voluiſſe; filiam eius in conjugem poſtulare, pacémque perpetuam, ac fœdus inire. Annuit libenter Normanus. Nuptiæ magnâ pompâ celebrantur. Paulò poſt Heraldus cum nupta in Angliam remeauit ingenti Nobilium Normaniæ comitatu ſtipatus. Vbi ſui juris ſe conſpexit, tetram fraudem mente conceptam prodidit. Edictum extemplò dedit; nè quis Normanorum poſt triduum in Angliâ moraretur, capitis pœnam alioquin daturus. Innocentiſſimam ſponſam Agaſonibus ſuis turpiſſimè proſtituit; ac naſo auribúſque præſciſſis fœdiſſimè violatam piſcatoria naue in Normaniam remiſit. Sic priſci Annales. Quot hic ſcelerum portenta? fœderis, hoſpitij, connubij, honeſtatis, diuina pariter, ac humana iura violata? Proh Regis fidem! ſed fortè datam Gullielmo ſimulatam fuiſſe dixerit Heraldus, & illud Euripidis vſurparit; lingua iuraui, *mentem injuratam gero.* Plauſeríntque nefarij Conſiliarij, ſordidi palpones. At quod in ſcænico damnauit Atheniensium cætus, in Rege ferret intentum in facinus cœli theatrum? imò certè totum in vindictam ruit. Gullielmus iuſtiſſima ira percitus Heraldum valido exercitu aggreditur, & acri prælio commiſſio vitâ pariter, ac Regno ſpoliauit. Ac regium ſibi nomen apud

 Anglos

Anglos ipſe vindicauit, ac in longam poſteritatem, fœliciter tranſmiſit; donec ipſa tandem à vera in Deum fide deficiens diu obtentum fœliciſſimum imperium, per inauditam Orbi ſubditorum perfidiam amiſit. Sed libet indolere magis, quàm inſultare clariſſimorum Regum collapſæ ſoboli, optaréque, ac ſperare, vt rectam in Deum fidem, ſimul cum imperio recipiat.

Aures arrigite, Principes, animum & cogitationes in hos euentus intendite; recordamini veri, & æqui amans Numen, perfidiæ, & malarum artium vindicem ſupremum iudicem rebus humanis inuigilare, Euoluite gentium & temporum omnium Hiſtorias; expendite Tyberij, Machiaueli, & quotquot eius furfuris extiterunt fraudis, & doli artificum anxia, & operoſa molimina; inuenietis non niſi diros infauſtóſque habuiſſe exitus. Humanæ ſocietatis, ac pacis euerſores Deo, hominibúſque execrandos fuiſſe. Neminem vnquam fallēdi artem inſtituiſſe, qui per eam ſe ipſum omnium infœliciſſimè nō feſelliſſet.

Mirum omninò eſt; miréque in rem noſtram faciens, adeóque non prætereundum, quod de Lyco Genuenſi fœneratore quodam locupletiſſimo, & rapaciſſimo memoriâ proditur. Si quem dolo, & fraude circumueniſſet, in arcam ei inſtituto præparatam calcu-

Theat. vitæ hum. tom 4. Verb. Ignor.

lum

lum nigrum reponebat. Sub Paſchatis tempus peccata de more fatetur, atque ea, ex calculis numeranda eſſe Confeſſario ſuo aſſerit. Domum redire, & calculos excutere iubetur. Accedit ad arcam, & vnicum inuenit. Sacro id renunciat Iudici. Is, vt ſingulari erat prudentia: multos, inquit, decipere voluiſti; multos calculos arcæ iniecisti. Verùm dum alios decipere inſtituiſti, te ſolum verè decepiſti. Tui ergo ſolius cauſa, qui à Diabolo es deceptus, vnicus calculus in arca repertus eſt. Reſipiſce itaque, ne falli à Dæmone pergas, & æternùm pereas.

Id ergò conſilij omnibus, ac in primis Regibus, & Principibus dederim, ne per fraudes, & malas artes rem promouere aggrediantur. Meminerint Protoparentum noſtrorum; & humanæ gentis primorum principum, qui dum callidum, & doloſum anguem in Conſiliarium ſumunt; dum Imperium augere per ſummam in Deum perfidiam ſatagunt, totum amittunt, ac in plurimas, vltimáſque ærumnas labuntur.

* * *

§. II.

Principum beneuolentiam per iniqua consilia ambientium justissima merces est odium, & contemptus.

Gen. 3. 14.

ET *ait Dominus Deus ad serpentem: quia fecisti hoc maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ; super pectus tuum gradieris, &c.* Vidimus quomodò Adamo, & Euæ cesserit serpentinis acquieuisse consiliis; Videamus modò quantum & ipse serpens lucri reportauerit. Voluit quidem ille hoc facinore illustrem fieri inter reliqua animantia; sed turpior deinceps, & præ cunctis maledictus redditur; nam vt Lyranus adnotat: *prius habebat formam, & faciem gratiosam super omnes bestias, & factus est horribilior omnibus.* Humanæ formæ dignitatem ambit recto corpore mulierem alloquens; & deinceps pedibus etiam orbus ad abjectionem reptilium formam damnatur: *super pectus tuum gradieris.* Hominum beneuolentiam per iniquissimas artes exquirit, & odium implacabile assequitur: *inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius.*

An non meritò dicas serpentem istum; siue

ſiue conſilium, ſiue exitum ſpectes, primipilum extitiſſe eorum, quos in aulis Principum *Arbitriſtas* vocitamus, qui nimirum, vt famam, & fortunam aucupentur, noua in dies arbitria exçogitant, ſuggerúntque Regibus, quibus ſuas opes, potentiámque augeant: fas interim, ac nefas perinde habentes, modò Principi ſit placiturum quod efferunt. Proh Deum immortalem, quanta hinc Regnorum, Regúmque excidia cernere eſt, ſi vetera, nouáque gentium monumenta inſpiciamus! An non huiuſmodi a bitria Roboamo oblata regnum eius in partes diuiſit, à vera religione in Idolorum nefarios cultus deſiecit? An non eadem excipiens Carolus VII. Francorum Rex inuito Populo tributa impoſuit, quibus ſubditorum animis vlcus inflixit ſerò medicandum ait Cominus? Quid Henricum VIII. infœlicem Angliæ Regem commemorem, dum humana pariter ac diuina iura peruertit; vt ærarium, & dignitatem augeat, omnia perdidiſſe ad extremum deſperata voce fatetur. Infinitum foret eiuſdem rei alia, quæ extant exempla perſequi,

3. Reg. 22.

Comin. in vita Lud. 11. c. 129.

Neque verò peſſimis conſiliariis fortunatior exitus eſſe conſueuit. Nempe ridiculum juxta, ac perniçioſum hominum genus Deo, hominibus infenſum ab omni benè in-

ſtituta Repub. eſt ablegatum, & malè habitum. Refert Alexander ab Alexandro, ſi quis apud Indos aliquid perniciosius inueniſſet; niſi protinus remedio ſuccurreret morte plecti ſolere. Sed & ipſum nouitatis nomen ita odioſum extitiſſe, vt apud Æginetas cautum fuerit inuiſum omnibus, execrabilémq; reddi quiſquis nouæ condendæ legis cauſam daret. Apud Perſas lex erat, ſi Eliano credimus, vt quiſquis de rebus nouis, & ambiguis conſilium dare Regi aggrederetur, ſuper aureo latere ſtaret; ſi bona & ſalubria conſuluiſſe videretur laterem in præmium reportaturus; ſin pernicioſa, vel inania afferret flagris aſperrimè cædendus.

Demoſt. in Orat. contra Timocr. Plut. in Ægide.

Seueriùs etiam cum iisdem arbitriſtis agebant Locrenſes, qui vt Demoſtenes, & alij commemorant, ſtatuerunt ne quis nouam legem, aut nouum aliquod inſtitutum in medium proferre auderet; niſi priùs inſerto in collum laqueo illud palam exponeret, vt ſi populo placeret, authore laudato, & remunerato reciperetur; ſin minùs, confeſtim ſtricto laqueo ſuffocatus temeritatis ſuæ iuſtam mercedem ferret. Si leges iſtæ hodie vigerent, non adeò eſſent peſſimorum conſiliorum feraces Regum aulæ. Si etiam Conſiliariorum eiuſmodi conſilia, & animos penitus introſpicerent Reges, haud ſegniùs ab iis ſibi

cauen-

cauendum ducerent:& dum magnos theſauros, exigua mercede accépta, ſe detecturos pollicentur, quam aptè eos ſubſannauerit Princeps his Ennij verbis.

Enn. apud Cic lib. 2. de Diuin.

Magnas diuitias promittunt, & dragma petunt,
Et iis diuitiis ſibi deducant dragma reddant cætera.

Neminem arbitror ita rerum ignarum, vt ignoret Arbitriſtas iſtos ſibi, non Regi ſuis arbitriis conſulere, ergo ſi veros theſauros detegerent, Regi,non ſibi aperirent? pende expreſſam hujus fæcis imaginem in primario Arbitriſta ſerpente, ſiue Dæmone, per eum arbitria ſuggerente, quibus Parentes noſtri Diis ſimillimi exiſterent. *Eritis ſicut Dij.* Si vera polliceretur,& quæ obtineri poſſent, an non ſibi potiùs conquireret? Sanè hoc erat antiquiſſimum ipſius votum: *Similis ero Altiſſimo*, & eſſe improbo auſu curauit. Sed dum abire in Deum geſtit, in tetrum Dæmonem deſinit. Eandem mentem hominibus ſuggerit inuidiæ parens quo à fortunatiſſimo ſtatu eos deturbaret, & ipſe ex victoria illuſtrior fieret. Primum (heu nos miſeros!) obtinuit. At non illud poſterius. Vilior,& obſcurior, quàm ante remanſit in terræ cauernas amandatus, omnium ictibus, & communi odio ſi prodeat deuotus.

§. III.

Per iniquas artes ad dignitates aspirantium mitior; sed grauis ipsis pœna, eodem quo ante loco consistere, quos serunt fructus sibi metere.

Gen. 3. v. 64. Ephrem, & alij apud Pereirum lib. 6. in Gen. 9. 4. Plin. lib. 11. cap. 46. Perei vbi sup.

SVper pectus tuum gradieris, & terram comedus cunctis diebus vitæ tuæ. Ephrem, Moses Barcepha, & alij interpretes existimant, serpentem, ante homines seductos ex genere quadrupedũ extitisse; ac ne id in credibile appareat Plinius tradit visas serpentes anserinis pedibus, nec id portenti loco memorat. In facinoris autem illius pœnam ademptos fuisse ipsi pedes, vt prono ventre deinceps reperet. Cæterum Augustini, Ruperti, Bedæ, & aliorum, quos refert, & sequitur Pereira, verior, nobisque probabilior sententia est; serpentem ab initio ex genere reptilium extitisse, pedibusque caruisse.

Diony. in cat. Lippomani.

Sed hinc insurgit grauis difficultas, si erat serpenti innatum pedibus carere, ac prono ventre repere, cur id ei in pœnam datur? vt nodum soluam noto, sententiam fuisse Didi-

mi

mi, vel hoc nomine magni, quod Hieronymi doctoris maximi Præceptor extiterit, ſerpentem reuera caruiſſe pedibus; fuiſſe tamen ad tempus, quo deciperetur homo operâ Demonis erectum, vt arduus, & ſublimis ingrederetur. Ideoque dixiſſe illi Deum; ſuper pectus tuum gradieris: quaſi dicat: licet Diabolus te erexerit, & celſo corpore ingredi fecerit, redibis tamen ad tuam naturam. Nimirum celſam, & erectam formam humanæ æmulam ambiuit ſerpens, cœpitque obtinere, & tamen ad priſtinam reptitiam damnatur? mitis quidem pro tanto ſcelere pœna; ſed tamen ambitioſo animali grauiſſima. Ea enim eſt ambitionis natura, ſi quando altiorem fortunam cupiuit, nec obtinuit, & ſi priſtinam retineat furijs vexatur, diriſſiméque torquetur; ſordent, quæ antè placuerant. Violenta, & infenſa redduntur, quæ ante erant connaturalia, & iucunda: nihil ſe habere exiſtimat, quantauis habeat, ſi quod ambit, nō aſſequitur.

En ſanè præſtantiſſimum huius rei argumentum in primo illo Aſſueri Regis primario adminiſtro. E ſordido loco ad eum dignitatis conſcenderat gradum, vt ceu Numen quoddam genuum flexionibus in aula regia coleretur. Vnus Mardocheus, qui vnum Deum verum colere didicerat, ſpurcum homuncionem adorare renuebat. Et ille quomodo id tulit?

Eſter. 3.

Eſter. 5. 11

conuo

conuocauit amicos, vxorem, & familiares, *& exposuit illis magnitudinem diuitiarum suarum*, Regis gratiam, Reginæque potentiam in Regno. Et cum omnia ambitiosa cura narrauisset, disertè fatetur cuncta pro nihilo habere, donec cupitum à Mardocheo cultum extorqueat. Audi hominis perditissimi sententiam: *& cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardocheum Iudæum sedentem ad fores regias.* Adde ex ipsius mente, *& genuflexionis cultum mihi negantem*: tota illa potentia, qua se gloriosum præ alijs omnibus prædicauerat, adeò iam ipsi vilescit, vt nihil omninò se habere existimet.

Neque verò pro nihilo tantumducit mens ambitiosa, quæ possidet, quantumuis magna. Imò & tormento sunt, quæ ante delicijs, & gloriæ erant, donec ambita obtineat. Exemplum esto idem Amanus. Decreuerat Assuerus insigni quopiam honore decorare Mardocheum, cui vitam seruatam agnoscebat. Consuluit Amanum, ceu intimum amicum, & ex Consiliarijs primarium, inquiens: *quid debet fieri viro, quem Rex honorare desiderat.* Cogitans autem Aman nullum alium, præter se cordi esse Regi, vt eum nouis honoribus cumulet, amplissimos, regiosque omnino honores deferendos esse consuluit; diademate, equo, vestibus etiam regijs ornari: vt denique

Ester. 6. v. 6.

primus

primus de Regiis Principibus, ac Tyrannis teneat equum eius. Ad quæ Rex ait, *fac, vt loquutus es Mardocheo Iudæo; quia tu es primus inter Principes regni mei:* ait ibi Lyranus Flauium Ioſephũ ſequutus, qui ita mentē Aſſueri munus illud Amano credentis explicat: *nam tu amicus es intimus, & conſilium, quod dediſti exequeris optimè.* An non etiam hoc nomine potiſſimum gloriabatur, & arroganter ſuperbiebat Aman? prorſus ita. Vt quid ergo modo tantùm dolet, pudetque tanto munere fungi? nimirum quia maiori id eſt Regio ipſi ſplendori inhiabat. Ea enim eſt ambitionis natura, vt quæ ante delectabant ornabantque deinceps torqueant, ex quo maiora appetere cœperant. Ergo mitiſſimi Numinis ſententia eſt; ſed tamen ambitioſi Animalis acerbiſſimum ſupplicium, vt humi repat; & ſi enim id innatum, nec indecorum ipſi fuerit; ex quo tamen celſiorem formam exambiuit, priſtina inſtar totius crucis, & ignominiæ illi erit.

Hoc itaque arbitrij dederim ego Chriſtiani, mitiſque ingenij principibus noſtris vt quando flagris, & laqueo peſſimos arbitriſtas excipere Locrentium, & Perſarum more non lubeat, id ſaltem efficiant, ne à priſtinis ſedibus ad ampliora faſtigia per iniquiſſimas artes conſcendere ſinant, erit ſupplicij

genus

genus regiam benignitatem decens; sed tamen ambitiosas mentes acriter vexans.

Illud etiam permiserim, monuerimque ex Ennij sententia superiùs laudata, vt quæ pollicentur Arbitristæ emolumenta sibi habeant: quæ serunt ipsi metant. Ita enim arbitror abundè fore puniendos; quod dũ constiterit, liquebit quanti veniant æstimanda Principibus arbitria ista. Neque verò extra subiectam prouinciam argumentum quæsituri ibimus. *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Quæ rogo est terra ista in pabulum iuxta, ac supplicium proposita serpenti? *Peccatores* exponit Glossa interlinearis. Necnon magnus Gregorius in hæc verba: *per terram peccatores intelligimus: vnde serpenti à Domino dictum est terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ: antiquus enim hostis terram comedit; quia peccatores quosque in ventrem suæ malitiæ abscondit.* Sed quæ rogo ista supplicij ratio tartareum illum anguem homines perpetuò deuorare? hominum potius dixeris id esse supplicium, quàm Dæmonis, cuius est humani sanguinis rabidissima sitis, *qui tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem deuoret.* Ita sanè est, non aliud Dæmonis opus est; non aliud studium, quam hominum exitium curare: non aliud sitit, esuritve, quam perniciem nostram. Verum tamen in hoc ipso

S. Greg. in Psal. 101.

1. Petr. 5.

ipſo ſtudio, pabulóque ſuo multiplicem grauiſſimámque pœnam colligit.

In primis namque hoc ipſius ſtudium inſtar maximi ſupplicij eſt. Quod nimirum præſtantiſſimæ mentis acumen diuinitùs acceptum, rerum diuinarum, ſummæque veritatis contemplationi factum, in extremæ dementiæ, nequitiæque facinora detrudat, nihil vnquam ex ſapientiæ, rectíque præſcripto meditetur. En genus illud ſupplicij præclarè delineatum à Ruperto ad illa verba; *ſuper pectus tuum gradieris.* Sic ſcribente; ſicut hoc reptile, cuius calliditate abuſus eſt, *ſuper pectus ſuum graditur, & ſeipſum in terram premit: ſic tu Diabole, cum ſis rationalis ſpiritus, rationale tuum ſemper graui fatuitate onerabis, & quocumque te verteris intentionem tuam deorſum conteres, & factis premes contrariis.* O nimis dirum capaciſſimæ mentis tormentum, verum, rectúmque vbique cernere, & nuſquam aſſequi: bona vtiliáque noſcere, & nunquam operari: prauis, nociuiſque ſemper inſiſtere. Quid grauius ſcienti ſuum errorem? Non enim mala, niſi neſcienti vnquam fuere iucunda.

Rupert. hic cap. 18.

Eſt aliud tormenti, doloriſque genus in hoc Dæmonis opere, ſerpentinóque ſtudio, quod licèt homines vbique inſectetur; non tamen, niſi reprobos, id eſt, mortalium peſſimos

ſimos capiat; cum tamen eos ipſe maximè cupiat perdere, qui amiſſas ſibi beatas ſedes ſunt poſſeſſuri iuxta illud propheticum: *Cibus eius electus.* Totus ipſius conatus aduersùs electos Dei filios vergit; *neque enim eos ſe gaudet rapere*, ait Magnus Gregorius, *quos prauis, ac ſordidis actionibus implicatos in imis ſecum reſpicit voluntariè iacere. Fœnum ergo vt bos comedere appetit; quia ſuggeſtionis ſuæ dente conterere mundam vitam ſpiritualium quærit.* Cœterum horum, quos maximè quærit nullum comprehendit. Audi Rupertum rem præclarè illuſtrantem: *terram comedes, & non cælum; hoc eſt non quorum conuerſatio in cælis eſt; ſed quia terrena ſapiunt, illi cibus tuus erunt. Malus operarius, & nequam ſeruus Deo tamen vtilis, fatigationem iracundiæ tuæ talium deuoratione conſolaberis.* En permiſſam Dæmoni in laboris ſolatium operam ſuam, ſeu potiùs in pœnæ augmentum, cum irritos cernat ictus ſuos. Sed quomodo vtilis Deo peſſimus Dæmon? ſanè vel quia diuinæ iuſtitiæ in reprobis torquendis vindicem agit, carnificémque: vel quia electos impetens, nec vincens nouis coronis ornat; & dum per inuidiam deprimere ſtudet, ad altiora faſtigia extollit. Præclarè id monuerat idem Rupertus: *inuidendo enim euacuaſti meritum hominis; ſed hoc facto gratia Dei locum aperuiſti, cui*

Abacuc. 1. 17.

S. Gregor. 22. Moral. c. 1.

Rup. lib. 3. De Trin. cap. 18.

cui amplius inuidebis dum homo ſe ipſo tanto fit altior, quanto gratia Dei, cuiuſque creaturæ meritis eſt maior.

Vides ipſa ſua ſtudia, ſtudiorúmque fructum grauiori pœnæ eſſe Tartareo angui? & ego in his omnibus videre mihi videor ſatis idoneum præpoſiti thematis argumentum, nimíſque expreſſam prauorum conſiliariorum ideam. Sanè, non acriorem ipſis pœnam deſiderem, quàm tortuoſis ſuis cogitationibus, ſubtiliſſimíſque machinamentis perpetuò incumbere. Quem cupiunt fructum ſibi habere? irritos conatus, commune hominum odium, & tragicos exitus. Amanum ex his vnum conſpicuúmque iterum in medium profero rei teſtem. Suadet Aſſuero Regi, vt Iudæos vniuerſos, id eſt, veri Dei cultores ad internecionem deleat, ita expedire ad Regni ſecuritatem, & ærarij augmentum, ad quod nimirum decem millia talentorum ſe hac ratione additurum ſpondet. *Si tibi placet, decerne, vt pareat, & decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.* Annuit malè conſultus princeps. In eo tamen conſultior, quod facinoris emolumentum ab Amano promiſſum ipſi permittat, reponens: *Argentum, quod tu polliceris tuum ſit.* O factum benè, quo facinoris inuidiam, meritámque vindictam in Amanum tranſtulit, & reipſa tranſ-

Eſter. 3. 9

translata est. Clamante nempe vniuerso innocuo populo, & pro eo Regina ipsóque cælo, talionis pænam exactè soluit Amanus, in patibulo, quod Mardocheo parauerat suspensus: decem eius filij totidem crucibus sunt affixi: Domus eius, & tota substantia dignitasque Mardocheo quem vnicè oderat, concessa omnes eius amici, & sceleris consortes ad internecionem deleti. En qualem ex scelerato arbitrio fructum retulit pessimus administer, primæui illius serpentini consiliarij æmulus. Discant ergo, qui vtrosque æmulantur, timeantque non absimilem vicem, si contra fas, ac pietatem arbitria Principibus suggerant:

§. IV.

Iustissimo Numinis consilio fit, vt qui vetita exambit, concessis spolietur.

MVlieri quoque dixit, multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos; in dolore paries filios, & sub viri potestate eris. Inueteratum hoc hominum vitium: concessa, etsi salubria, iucundáque fastidire vetita, quamuis insulsa, & noxia concupiscere. Antiqua etiam, eaque iustissima vicem rependendi apud Deum ratio,

Gen. 3. 16.

tio, vt qui bona nauſeant malis torqueantur, qui in rerum affluentia ſe contineri nequeunt inopia, & anguſtijs premantur qui vetitis inhiant etiam conceſſis ſpolientur. Proh quam latam vtriuſque rei commonſtrandæ ſegetem nobis exhibet primorum parentum ſtultiſſimum crimen, eorumdemque acerbiſſimum à ſapientiſſimo, & æquiſſimo Numine inflictum ſupplicium.

Diffluebant illi delicijs, omni corporis pariter, ac animi ornamento, oblectamentoque locupletes, membris habiles, atque politi; vultu hilares, & decori; colore viuidi, ac ſuaues; toto corpore honeſti, ac veluti ad vnguem concinnati. Rationem multicolores omnium doctrinarum habitus veſtiebant. Voluntatem non minùs elegantes virtutum chlamides exornabant: totam animam pulcherrimè excolebat toga illa, quæ Deum hominibus pacificum, homines Deo gratos efficit; efferas paſſiones in rationem rebelles, veluti aureo fræno cohibebant: nulli morbi; nulla moriendi neceſſitas beatiſſimam vitam interturbabat. Quid multis? ea erat ſtatus illius conditio, ait Auguſtinus: *vt nullum bonum abeſſet homini, quod recta voluntas optare poſſet; nullumque malum adeſſet, quod hominis feliciter viuentis carnem, & animam offenderet.*

D. Aug. lib. 14. de ciuit. Dei cap. 10.

Et in hoc deliciarum pelago, in hoc feli-

citatis culmine constituti, vnius vetitæ arboris fructui toti inhiant. Ideo scilicet optabilis, quia vetitæ. Neque enim arboris illius vllum erat commodum, quod hominibus vtilitatem, aut voluptatem aliquam afferret, vel etiam Numinis interesset. Tantum placuit iusti in homines dominij monumentum statui, efficereque, ne primis illis humani generis parentibus, tot virtutum luminibus claris, splendidum, Deoque gratissimum obedientiæ sidus deesset. Sed inuiderunt ipsi sibi tantam fortunam, inuidit, & malus Dœmon, cuius tamen irrita fuissent tela, ne ea acueret impotens fœminæ libido. Suasit itaque Euæ subdolus serpens, vt vetitum fructum degustaret; ita fore Dijs parem. O nimis validum in agnatam fœminis dominandi pruriginem telum! acquieuit misera; idemque ipsa persuasit vxorio coniugi, succubuere infelices effræni libidini. Non tam delectabantur tot bellarijs à Numine ad amoris, & potentiæ ostentationem instructis, quàm torquebantur vnius vetiti pomi fame. Degustauêre demum.

Et quid tum? Illico cecidere ex celso illo fœlicitatis absolutissimæ culmine. Subito se conspexere nudos toto illo, tamque multiformi corporis, animíque ornamento. Successere morbi, moriendíque necessitas. Pabulum, quod sponte præbebant plantæ, ac tellus,

tellus, non niſi ægrè, & improbo labore coa-ctæ deinceps præſtant. Elementa, ac tempora inuicem pugnantia vnanimè in homines bellum geſſere. Obſequium negauere animantia, pugnante cum Deo orbe terrarum aduersùs inſenſatos. Sed & ipſis ſecum acrius pugnantibus ratione ſenſum, ſenſu rationem implacabili bello inſectante. Imperium in homines capeſſiere Dæmones improbi, & omni Dæmone ſæueriores eiuſdem effrænatæ cupidines. Extra Paradiſum actis, cæli etiam fores obſeratæ. Neque verò vni Protoparentes (proh dolor ô grauem, ſed æquam Numinis iram). Non inquam vni; qui peccauere Protoparentes; ſed tota ipſorum propago hanc pœnam dedit.

Vidiſtis quanto ſolidæ voluptatis diſpendiò lethiferas dapes eſurierint Protoparentes. O quantis virorum, & gentium cladibus oſtendere liceret peſſimum morbum in poſteros ſerpſiſſe; quoties accidit, dum potentiſſimi Reges vnum caſtrum, oppidulumve ex viciinijs ambiuiſſent tota regna, eaque florentiſſima deperdere. Sed iniurius forem granditati caſus, quem præ manibus habemus. Si alios quærerem propoſitæ veritati firmandæ. Libet itaq; paulo accuratius expendere ſæueritatem, cum æquitate coniunctã diuini Iudici aduerſus primos humanæ libidinis authores;

Multiplicabo ærumnas tuas, inquit Deus ad mulierem. Nimirum quæ ærumnosum putabat vno pomo abstinere; vni Deo subditam esse, totas Paradisi delicias amittat. Viro, dæmonibus, efferis animi motibus, innumeris calamitatibus ærumnosior subiaceat. *Et conceptus tuos.* Quid quæso? dirarum, & maledictionis instar est multiplicari conceptus? an non potius maledicta habebatur sterilis? ita prorsus, si absque dolore parere, si integros, si probos, si vitæ beatæ candidatos omnes parerent fœminæ eò essent feliciores, quò fœcundiores. Sed quando partum comitantur, & præeunt tot immanes cruciatus; quando per abortum tot fœtus euanescunt, vel mutili, vel deformes prodeunt, vel moribus corrupti in reproborum gregem abeunt, quæ omnia sunt peccati stipendia, iam vtique *non est hæc multiplicatio benedictionis*, ait Rupertus, *sed damnationis non gratiæ, sed iræ. Mulier quippe quanto fœcundior; tanto ærumnosior.* Vt proinde Seuerinus Boëtius arbitretur, nimis è natura dictum esse: *nescio quem filios inuenisse tortores.* Atque Euripidis sententiam probet, *qui carentem liberis infortunio dixit esse fœlicem.*

Rup. lib. 3. de Trinit. cap. 22.

Boët. lib. 3. de consol. pros. 7.

In dolore paries filios. Et verò quanto dolore? sanè tanto, vt eum esse duxerit Psalmista summæ acerbitatis normam: *ibi dolores sicut parturientis.* Sed pende extremam ambitiosæ

fœmi

fœminæ pœnam. *Et sub viri potestate erit, & ipse dominabitur tibi.* Quid grauius esse potuit imperioso animali, quàm sub cuiuspiã esse dominio? *Nos omnibus hominibus*, inquit Cato, *nobis autem mulieres dominantur.* sponte quidem, & iucunde obtemperatura erat viro mulier ab initio. Nec illa contumax, nec iste ferox esset in illo fœlici statu; sed postquam altera in superbiam, alter in tyrannidẽ abijt, quantos cruciatus habet illa subiectio? vnde Hugo ad illa verba: *sub viri potestate erit*, hæc scribit. *Non sub regimine tantum vt prius; sed sub violenta dominatione, vt te etiam verberibus, & vulneribus affligat.* Ita quæ iucundũ, & rationale imperium sustinere non valuit importunè imperiosa, duram, atque feram dominationẽ ferat. *Pro temerario imperio*, inquit Rupertus, *seruitutis pœna reddita est.* Quæ insipienter garrula virum docere instituit, præpostereque docuit, à docẽdi munere in perpetuum relegatur, eleganter id animaduertit Procopius aiens: *Hoc sciens Paulus prohibet mulieri ne doceat publicè; primitus enim male docuit, nec permisit mulieri dominium in virum, si quidem primitus perperam imperauit.*

Cato apud Plut. in Rom. Apoph.

Hugo apud glos.

Procop. in cap. 3 Gen.

Vidistis malè consultæ, & pessimè consulentis Euæ iustissimam pœnam à Numine inflictam! Neque enim postrema criminis ipsius exaggeratio est, quod socios voluerit habere peccati: *quia non contenta transgressione*

Rupert. sup.

 propria,

propria, postquam comedit viro dedit, ait Rupertus. Cernite modo qualem auscultando pœnam tulit Adamus.

§. V.

Principis errorem non minuit, sed auget prauis fuisse consiliis seductum.

Gen. 3. 17.

ADæ verò dixit; *quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* In admissi sceleris excusationem obtinebat Adamus suasionem vxoris. *Mulier*, inquit, *quam dedisti mihi sociã, dedit mihi de ligno, & comedi.* Sed frustra tãtúmque abfuit, quod vxoris suasio illi prodesset ad veniam, vt capitalior ipsius culpa fuerit Numinis sententia perstricta fœmineo acquieuisse consilio: *quia audisti vocem vxoris tuæ, &c.* Quidni verò? annon erat ipse satis consilij, & prudentiæ diues, omni scilicet rerum naturalium cognitione apprimè instructus: adeò vt ipsis commiserit Deus nomina idonea singulis imponere, quibus nempè formatis: *adduxit ea ad Adamum, vt videret, quid vocaret ea*: quasi Adami iudicium expectaret Numen. Cur itaque viro sic rerum gnaro libuit imbecilli fœminæ sei-

que

que per ſordidum, & malignæ indolis Animal ſeductæ aſſentiri? adeóque ſtultitiam, & nequitiam conſules adhibere? meritò igitur reatus potiùs, quam expiatio criminis cenſetur vxoris acquieuiſſe conſiliis.

Hîc ego vos compello, Auguſti Principes, qui Regnorum gubernacula regitis. Ne putetis clades eorum veſtra incuria, & Conſiliariorum, ſiue nequitia ſiue imperitia admiſſas apud ſupremum Moderatorem excuſatas iri. non vos ipſi conſilio, & prudentia vigetis? An Sanè raro non vigetis. Cor enim Regis in manu Dei, cui præcipua cura idoneam ſuggerere prudentiam regiis muneribus obeundis. Cur igitur piget obire? Cur non pudet ab aliis regi; ſimúlque euerti vos, regnáque veſtra? Abſurdum videbatur Alphonſo Aragonum Regi Reges ab aliis regi; & duces ab aliis duci; damnábatque Principes, & Magnates, qui, cum Imperij, & Principatus titulos ſibi vendicent, alieno tamen conſilio regantur etiam inuiti, quo fit ſæpenumero, vt, cum magno Reipub. detrimento alienis oculis videant; alienis linguis loquantur; adeóque nihil minus ſint, quam Principes, qui à Conſiliariorum arbitrio ita pendent, vt planè horum ſint mancipia.

Panorm. lib. 2. de reb. geſtis Alphonſi.

Neque tamen his ſuadere contendo, vt Reges penitùs abhorreant Conſiliarios. Abſit

Idem. lib. 1

hoc amentiæ. Sed vt præstantiores, sapientioresque viros in id muneris assumant, ne ipsi, quasi aliena res agatur, otio indulgeaut, & inertissimis capitibus regiam maiestatem, regnumque submittant. Id indignatus præfatus Alphonsus, cum senex quidam, & natura, & ætate audacior ex Senatorum numero eum argueret, quod contra Patrum fere omnium sententiam bellum capesseret. Respondit Regum Consiliarios, aut Reges, aut Regum animos habere oportere. Profectò, non nisi maximi quique viri, & præclarioribus naturæ dotibus instructi in id officij admitti debent. Si prauos, si ineptos admittat Princeps erratorum, quæ commiserint, reus erit.

Age igitur despiciamus, qualiter hæc Adamo euenerit, quas pœnas tulerit insipientissimi consilij, quo serpente, Euaque Consiliariis vti decreuerit.

§. VI.

Verus Princeps, non tam suis, quàm suorum calamitatibus torquetur.

Gen. 3. 17.

M*Aledicta terra in opere tuo.* Vbi Diuus Hieronymus animaduertit, sterilitatem

tem terræ imputari ſceleribus Adæ: *opera hic non ruris colendi, vt plerique putant; ſed peccata ſignificant.* Prima igitur, atque præcipua pœna inflicta Adamo, eſt quod terra cuius erat Dominus, & Princeps affligatur, atque ſpinis horreſcat. Nec enim aliud grauius eſſe poteſt vero, & legitimo Principi, quàm ſuorum calamitates cernere; præſertim ſi ipſius culpa eueniant.

D. Hieron. in quæſ. hebrai.

Hinc patet aditus intelligendo miro cuidam Strab. Fuldenſis gleſſamati ad præfata Numinis verba: *terra*, inquit, *maledicitur, non Adam, vt cuncti propter quos hæc ſcripta ſunt, terrerentur; ne ſimilia facientes, ſimili pœna plecterentur.* Quæ iſta, quæſo, ratiocinandi forma? In terrorem aliorum fit, vt terra, non ipſe Adamus maledictione perſtringatur. Imo ſanè amplioris terroris fore videtur, ſi ipſe, qui peccatum admiſerat, non tellus innoxia plecteretur. Ita prorſus ſuſpicari liceret, ſi cuipiam ex ignobili hominum vulgo, non Principibus, magniſque viris terriculamentum pararetur. Illi quidem vnum ſuum damnum, doloremque flerent. Sed quibus eſt mens Auguſtior, & Imperio facta, ſuorum magis quàm ſuis pœnis anguntur. En vtriùs indolis diſcrimen pulcherrimè expenſum à Strab. ad præfata verba hæc ſubijciente: *ipſe verò Cain, qui primæ præuaricationi fratricidium addidit, maledicitur.*

Strab. hic.

dicitur, cum dicitur: maledictus eris super terram. Quorſum ita? ſi acerbior erat pœna, terram, quam delinquentem puniri; cur ea non infligitur Caino, vt erat inflicta Adamo, cum primo ſceleri aliud ille, idque immaniſſimum fratricidij addiderit. Sanè quia non erat eiuſdem cum patre nobilis, & regiæ indolis degener filius Cainus. Is enim inuidiæ author extitit, quæ non niſi ignobiles, abiectoſque animos vexat. Nam vt teſtatur Iob: *paruulum occidit inuidia.* Sordidum vitium, non niſi ſordidas, abiectaſque mentes inuadit. Homo autem ſic conſtitutus terræ ſibi ſubditæ laboribus parum tangitur. Ignobilia capita ſuas ærumnas acriter, ſuorum nihil præſentiunt. Ergo non ſuper terram, ſed ſuper Cainum ipſum maledictio decidat, vt pro ingenij ratione opportunè feriatur. Contra vt Adamus acerbiſſimè crucietur, non ipſe, ſed ſubdita ipſi tellus diris deuoueatur. Regius enim, & nobilis animus longè acrius ſuorum, quam ſuis calamitatibus angitur.

Iob. 5.

Hùc ades tu, ô Regum norma, Dauid cum ob recenſiti Populi flagitium puniendus tria ingentia ſupplicia eius optioni proponerentur. Scilicet, vel tribus annis famem ſuſtinere, vel tribus menſibus hoſtem fugere, vel tribus diebus gladium Domini, & peſtilentiam verſari in terra, poſterius iſtud elegit.

An

An quia ſibi magis, quàm populo conſulebat, fugam noluit? imo ſanè, vt populo conſuleret: *ſuam fugam,* ait Ambroſius, *non poſcit, propter iſtud; quia propheta pro populo orare poterat, ſicut factum eſt: populus, pro propheta interuenire non poterat.* Et verò euentus comprobauit, populi magis, quàm ſuam vicem cordi fuiſſe Dauidi; cum ſæuiente contagio ſubditos ſuos paſſim cadentes cerneret ſe continere non valuit, quin vindici gladio obijceret. Dixitque Dauid ad Dominum cum vidiſſet Angelum cædentem populum: *ego ſum qui peccaui, vertatur obſecro manus tua in me, & in domum Patris mei, populus autem tuus non percutiatur.* Quam non temerè ſuſpicabamur ſuperiùs populum, magis quàm vitam ſuam cordi fuiſſe Dauidi, quando fugam renuit. Certius ſui amoris argumentum exhibuit præſentem gladium in ſe auocans, quàm ſi inter conſultandum optaret. Præclarè rem totam expreſſit Ambroſius in hæc verba: *& tamen vbi vidit occidi populum, ipſe ſe Angelo ferienti obtulit, vt ipſe potiùs pro populo feriretur. Plus eſt, quod nec ipſa perterritus ſpecie mortuorum gladio ſe obtulit, quam ſi ſermonem propoſitæ conditionis optaſſet.*

Amb. in Pſal. 38.

1. Paral. 28. 17.

Ambroſius.

Sed aſpice quantum eius rei documentum exhibuerit Dauidis filius, idemque Regum Rex Chriſtus Ieſus. Qui famem, nudi-

nuditatem, & reliqua vitæ incommoda mortalis sibi obuenientia placidissimo animo sustulerat, quàm ægrè ferat iis torqueri suos, quam seuerè in non subleuantes animaduertat. Aliorum scelerum, quasi oblitus id vnum improperat iis quos æternis gehennæ cruciatibus amandat: quod seruos suos esurire, & nudos esse permiserint: *Esuriui*, inquit, *& non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me, &c.* instar ænigmatis hoc apparet reprobis: *Domine*, inquiunt, *quando te vidimus esurientem, aut sitientem, &c.* ac ita, nodum ipse extricat: *quandiu non fecisti vni de minoribus istis, nec mihi fecisti.* Suorum incommoda sua reputat, acriusque sentit, & vindicat, imò sola vindicare videtur. Singulorum ærumnas suffert, imò & omnium, adeóque plus omnibus cruciatur. Quam præclarè rem illustrat Saluianus in hæc verba: *ego plus addo aliquid Christum non solùm egere, quam cæteros in omni enim pauperum numero, non est vniuersorum omnium vna paupertas. Sunt enim aliqui quibus etsi vestimenta desunt, alimenta non desunt.... Christus tantummodo est solus, cui nihil est, quod in omni humano genere non desit.* Calamitates, quæ per singulos hominum sparguntur, in vnum Christum Regem agmine facto irruunt, regio, paternóque amore eas in se aduocante.

Matth. 25.48.

Saluianus.

Sed

Sed & ſimilem amoris ſenſum in Regina Hecuba aduerſus ſuos in Troiano excidio pereuntes eleganter exprimit Tragicus in hæc carmina :

Quoſcumque luctus fleueris flebis meos
Sua quemque tantùm, me omnium clades premit.
Mihi cuncta pereunt quiſquis eſt, Hecubæ eſt miſer.

Senec. Trag.

Ergò vt Adamo, qui regio animo vigebat acerbiſſima omnium pœna infligatur ſubdita ipſi terra diris plectitur, vt Reges, quibus eſt erga ſuos pietatis,& amoris ſenſus à ſceleribus caueant, cernentes miſerum populum luere plerumque, quæ Principes delinquunt, arcano quidem, ſed æquo Numinis conſilio.

§. VII.

Populi ærumnæ in Principem tandem redundant.

IN *laboribus comedes eam cunctis diebus vitæ tuæ; ſpinas, & tribulos germinabit tibi.* Maledixerat Deus terræ ob peccatum Adæ; nec tamen ideò impunis abiuit, qui peccauerat. In ipſum demum recidit, quicquid di-

Gen. 3. 18.

rarum

rarum terris est inflictum. Ita nimirum comparatum est, vt subditorum ærumnæ in Principes refluant. Sicut eorundem prosperitas Principum decus est: attestante Salamone: *in multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis.* Opportunè ad rem nostram verba illa vertunt 70, interpretes. *In multa gente gloria Regis, & in defectu populi contritio Principis.* Et verè vnde Principibus erit splendor, si miser sit populus? sanè non aliud Regij splendoris pabulum est, quàm Populi fortuna. Præclaram eius rei imaginem exhibet rubus ille ardens, & tamen incombustus Moysi ostensus. Sub ignis vmbra Deum intellige, *qui ignis consumens* dicitur: rubum autem incombustum, populum interpretantur plerique. Deus itaque Principis imaginem referens ignem induit, tandiu ibi duraturus, quandiu rubus illæsus subsisteret, nam *cum defecerint ligna extinguetur ignis.* Ita prorsus Principibus euenit, florente populo vigent & ipsi, cadente cadunt.

Prou. 14. 18.

70 Int.

Exod. 3. 2.

Deut. 4. 24.

Prou. 26. 20.

Sapienter pro more Franciscus Petrarcha ad Seneschallum Siciliæ scribens ait: *Diuitis Regni Dominus inops esse non potest.* Erat Constantius Clorus vectigalium imponendorum inimicissimus. Domestico splendori detrahebat, ne populum grauare contingeret. Id resciens

Petratcha.

Euseb. apud Caus. in Curia sancta.

reſciens Diocletianus Cæſar Conſtantium per legatum monuit, vti reliquorum Principum more ærario locupletando imcumberet, ſiue œconomiam docere volens; ſiue metuens ne tantæ integritatis ſplendore ipſius rapacitas perſtringeretur. Tum Conſtantius vno verbo populo Britannorum, quem moderabatur inſinuauit ſe nummis indigere. Res erat ſpectatu iucunda, vt omnes certatim acurrebant, quæ ſinguli poſſidebant ingenti alacritate optimo Principi offerentes, vt breui eam vim pecuniæ accumulauerint, quæ Diocletiani legatos in ſtuporem egit. Poſt quorum diſceſſum tamen vniuerſam pecuniam largitoribus reddidit Conſtantius, aiens: malle ſe diuitis populi beneuolentiam, quam totas Regum gazas poſſidere: quid ni enim, vna enim eſt boni Principis, & populi fortuna. *Nam diuitis Regni Dominus inops eſſe non poteſt.* Nec pauperis locuples.

Age ergo modò diſpiciamus, quomodo terræ calamitas in Adamum recidit. *In laboribus comedes eam.* Et verò quantis laboribus? proh dolor! aſpice agricolam ſolis æſtum, brumæ frigus, omnem temporum inclementiam apetto cælo ferentem. Adi varias mechanicarum artium officinas, quot ſudores, quot tormentorum genera cultores ſubeant: interroga militem, quos labores, quæ vulnera &

vitæ

vitæ diſcrimina, quam rara, & exigua præmia in aciebus colligat. Conſule Iuriſperitos, & aliarum diſciplinarum Myſtas, quot vigilijs, quibus labirinthis mentem, & ſalutem excruciant perpetua quadam vertigine circumacti, & Reges putas laboribus exemptos? nullis arbitror, quàm ipſis laborioſiorem obtigiſſe vitam, perpetuis, ijſque grauibus curis & anxietatibus agitatis, adeo commune eſt, mortalibus cunctis in labore, atque ſudore terræ fructus delibare, ſpiritumque trahere.

In ſudore vultus tui veſceris pane. Durum, & dirum humani generis in victu quærendo laborem graui, atque iterata emphaſi exponit Numen: Atqui ego in labore illo alium etiam grauiſſimum contueor. Nimirum hominum labores, conatuſque omnes in corporeo victu, voluptatibuſque quæritandis inſumi, omiſſa rerum Diuinarum & ſublimium contemplatione, quod vnum eorum eſſet ſtudium: & quidem eſſe oporteret, cum in eas conditi fuerint. Nec niſi extremæ infœlicitatis res eſt nobiliſſimum animal, orbis Principem, ijſdem, quibus abiectiſſimæ belluæ, ſtudijs teneri, eandem beatitudinem appetere, ſcilicet, corporea oblectamenta: quæ nimirum inquit Seuerinus Boethius: *ſi beatos explicare poſſunt, nihil cauſa eſt, quin pecudes*

Boeth. lib. 7. de conſ. proſ. 7.

quoque

quoque beata eſſe dicantur, quarum omnis ad explendam corporalem lacunam feſtinat intentio.

Sed etiã in hoc labore alium inſuper laborẽ inuolutũ cerno. Infinitus quippè eſt humanę calamitatis abyſſus. *In laboribus comedes eam.* Infælix planè ac miſerum eſt, rationales animos corporeis voluptatibus, terreniſque ſordibus totos inhiare; ſed vlterius miſerum, vbi voluptates venantur laborem, atque dolorem capere; nec iucunditatem aliquam; niſi multiplici felle delinitam deguſtare. An non verò corporis voluptates ita ſunt comparatæ? nimirum, *quarum appetentia quidem plena eſt anxietatis, ſatietas verò pœnitentiæ?* (inquit præclarè idem Boëtius) *Quantos illa morbos, quantos intolerabiles dolores, quaſi quendam fructum nequitiæ fruentium ſolent referre corporibus: quarum motus, quid habeat iucunditatis ignoro, triſtes verò eſſe voluptatum exitus, quiſquis reminiſci libidinum ſuarum volet, intelliget.* Et quod ſingulorum experientiis ediſcendum meritò credit, id ipſe elegantiſſimis hiſce verſiculis explicat, paulò inferius.

Boëth. ibid.

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes;
Apiumque par volantum
Vbi grata mella fudit
Fugit, & nimis tenaci.

Boëth. ſupra metr. 7.

Ferit icta corda morsu.

Heu deplorandam hominum fortunam! ô duram conditionem! vt vbi voluptatem quærunt, noua inueniant tormenta. Quod si corporeis neglectis delectamentis, veritatem, quæ animi pabulum est, exquirant, quantum & hoc habet laboris obcæcatis iam per scelera mentibus, quæ antè erãt oculatissimæ? Post totas elucubrationes ignorantiam potius, quàm scientiam acquisiuisse diceres. Sanè non alij magis se inscios agnouerunt, quàm qui impensiùs scientijs conquirendis incubuerunt. Vt meritò Apostolus asserat: *stultam fecit Deus sapientiam huius mundi.* Adeò, non modò, quam calcat homo, ferroque colit terra; sed quam secum fert, scilicet corpus, sterilis, & spinarum quàm fructuum feracior euasit ex primæua illa, maledictione per Numinis sententiam, inflicta. Opportunè rem totam expressit Rabanus in hunc locum sic differens: *hoc enim ipsum, quod quisque in terra natus difficultatem patitur inueniendæ veritatis, ex corruptibili corpore, habet; corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam. Hinc dolores, & tristitiæ. Hæc profert homini terra; spinæ, & tribuli punctiones tortuosarum quæstionum, & cogitationes de promissione huius vitæ: hæc patitur, qui colit agrum suum, donec in terram de qua sumptus est redeat.*

1. Cor. 1. 20.

Raban. in glos.

Vidistis

Vidiſtis quomodo terræ calamitas Adamo quoque ærumnas, & calamitates ingeminauerit. Videant ergo Principes, quomodo ſubditos grauent, eius rei certi: quicquid ærumnarum populus ſuſtinet in Reges demum eſſe rediturum. Ita cauit ſapiens Numen, vt quos paternus in ſubditos amor, qui Principem decet, non mouet; ſui ſaltem amor, damnorumque timor à Tyrannide abſterreat.



HISPANO AVSTRIACÆ Domui Imperij perpetuitatem, & ſoſpitatem plura ominantur, ſed in primis Catholicæ Religionis amor; & Euchariſtici Numinis ardentior cultus.

Gen. 3. v. 22.

NVNC ergo, ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum: & emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis. Poſt admiſſum originale ſcelus ab hominum protoparentibus, decreuit Numen, vt morti addicerentur: ſcilicet antiquum eſt, *ſtipendum peccati mors*: ſed tamen pietatis, non ſeueritatis decretum id fuiſſe arbitrãtur Chryſoſtomus, & Rupertus, vt nimirum ſancta vita in ſceleratam; beata in ærumnoſam commutata, immortalis quoque in caducam abiret; ne forent aut perennia ſcelera, aut interminatæ calamitates. *Quid enim ſi cum talis factus ſit* (inquit Rupertus) *viuat in æternum? vtique nihil niſi malum æternum, iam enim miſer factus, ſi æternus quoque ſit, quid niſi miſeriam æternam habebit?* Sed pende quomodo immortalitatem ademerit Adamo; emiſit eum de Paradiſo volu

Chryſoſt. & Rupertus tui.

voluptatis ; Cur ita ? *Ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.* Notissimum est apud sacros interpretes lignum illud vitæ symbolum extitisse Eucharisticæ epulæ, quæ vna verè cibus vitam edentibus tribuit, eamque immortalem; nam *qui manducat hunc panem, viuet in æternum:* eiicitur itaque ex Paradiso Adamus morti destinatus, ne viuifici istius ferculi vel vmbram amplexus, immortalitatem obtineret: fatale nimirum Magno Eucharistiæ sacramento hoc est, vt eo saginatus nulli succumbat fato, eius cultores æternitatem comparent.

Io. 6. 58.

Hinc subit in meditationum istarum iucundiorem mihi coronidem Principi n Hispano-Austriaco, eiusque ter Aug. domui Imperij amplissimi perennitatem sospitatem, non vanis ominibus augu. Habet sanè Hispania eius rei nec pauca, nec leuia argumenta. Habet duo validissima bellorum, & Imperij fulcra; virorum lacertos, & nummorum copiam, vt & exteri norunt, & fusiùs narrarunt, quàm mihi commemorare est otium, aut animus, aliqua tamē indigitabo.

Hispanicæ gentis virtus bellica.

QVantum autem sit Hispanis robur; quam natum ad Martis opus ingenium; probe

 sunt

ſunt experti, quotquot cum iis manus aliquando conſeruerunt: id experti teſtatíq; ſunt abunde Romani mortalium fortiſſimi, quorum Aquilis cum vniuerſa Gallia, etſi pugnaciſſima, breui nouem annorum curriculo in prædam ceſſerit. *At in Hiſpania* (ait Velleius Paterculus, & ipſe Romanus vir) *per ducentos annos, multo, mutuoque ita certatum eſt ſanguine, vt amiſſis populi Romani Imperatoribus exercitibuſque ſæpe contumelia, nonnunquam etiam periculum Romano inferretur Imperio. Illæ enim prouinciæ Scipiones conſumpſerunt: illæ contumelioſe viginti annorum bello ſub Duce Viriaco maiores noſtros exercuerunt: illæ terrore Numantini belli populum Romanum concuſſerunt: illa tot Conſularios, tot Prætorios abſumpſit Duces, vt plures per annos diiudicari non potuerit Hiſpanis, Romanus ne plus eſſet roboris, & vter populus alteri pariturus eſſet.*

Velleius Paterculus l. 2. hiſtor.

Nec ſegnior eſt in deprædicanda Martia Hiſpanorum virtute, floridiſſimus ille Lucius tum alibi paſſim; tum in commemorando immortali illo Numantinorum facinore. *Numantia inquit, quantum Carthaginis, Capua, Corinthi opibus inferior, ita virtutis nomine, & honore par omnibus, ſummumque ſi viros æſtimes Hiſpaniæ decus, quippè quæ ſine muro, ſine turribus, modice edito in tumulo apud flumen Durium ſita, quatuor millibus Celtiberorum, quadraginta milli*

Luc. Flor. lib. 2. hiſtor. Roman. c. 18.

millium exercitum per annos quatuordecim sola sustinuit, nec sustinuit modò, sed sæuiùs aliquando perculit, pudendisque fœderibus affecit. Sed quę tam pertinacis belli origo? Vtique quod Numantini Sedigenses socios, & consanguineos, Romanorum manibus elapsos exceperint. Quæ protendendi causa? Quod in fœderis prætium iuberentur arma deponere. *Hoc sic à barbaris acceptū* (inquit Florus, ab Hispanis, inquam ego, quibus antiquum ferro gloriari) *quasi manus abscinderentur.* Tantundem apud Iliturgim occidisse refert Sabellicus, cum enim Cato receptis in fidem hostibus, arma adimere iussisset: *Id adeò agre Hispani tulerunt, vt eorum multi, sibi mortem consciueriut, (ferox hominum genus) nullam sine armis vitam esse rati.*

Sabell. Ænead. 5. lib. 6.

Sed dum Hispanos barbariæ, & ferociæ sugillari audis, accipe nobilissimam indolem, vel inter ferociam micantem; ita enim de Numantinis subijcit Florus; *itaque statim Megara viro fortißimo, duce; ad arma conuersi, Pompeium prælio aggreßi: fœdus tamen maluerunt, cum debellare potuissent: Hostilium deinde Mancinum, tunc quoque aßiduis sedibus ita subegerunt, vt ne oculos quidem, aut vocem Numantini viri quisquam sustineret; tamen cum hoc quoque fœdus maluere, contenti armorum manubijs cum ad internecionem sauire potuissent*; adeò Hispano.

Florus supra.

Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni.
Pugna suum finem, cum iacet hostis, habet.

Neque vero vnius Numantiæ fortitudinem apud Hispanos commendauit Florus; qui vrbem illam vnam, aliis pluribus maioribus parem dixit; ipsam Hispaniam, pluribus potentissimisque gentibus robore præstantiorem pronunciauit, vt cum Thessalos ægrè, Afros ægriùs; Hispanos tamen ægerrimè, & vix domuerint Romani, certè vniuersos nunquam subigere valuerint: *quantoque Africa supra Thessaliam* ; (inquit ille) *tanto Africam superabat Hispania*: quam rem abunde testatur ipse Romanæ Historiæ Princeps scriptor Liuius, commemorans Romanos primam Regionum ambijsse, & bello impetijsse, sed postremam obtinuisse Hispaniam. *Hispania, inquit, prima inita prouinciarum, sed postrema omnium, ductu, auspiciisque Augusti Imperatoris perdomita est.*

Flor. lib. 14.

Liuius lib. 28.

Neque tantum Hispaniæ viris, sed etiam fœminis, roboris, & constantiæ laudem fama dedit: refert Appianus fæminas Hispanas viris admixtas tanta contentione aduersus Iunium Brutum Consulem Romanum pugnasse, vt ne media quidem cæde vocem vllam imbellitatis indicem ederent, & dum vincere nequissent, ne vinci viderentur, aut in captiuitatem irent, se, filiosque paruulos spontanea morte confecisse.

Appiam de bello Hispaniensi.

Hispania

Hispaniæ vires & opulentia.

HÆc de Hispanorũ animis corporibusque insito à natura robore. Quid de Imperij opulentia; postquã in eam excreuit amplitudinem, quam hodie Numine propitio sortitur? de hominum; equorum, & nummi (qui alter, isque necessarius omnino belli neruus est) multitudine, & copia? fortè incredibile cuipiam videbitur, quod ea de re testatum fecit prudentissimus, & magnæ fidei scriptor Carolus Scribanus, qui ex viri cuiusdam magni, & rerum Hispanicarum peritissimi subductione anno 1625. accuratissime confecta, scribit vnas illas Prouincias, quæ Hispaniæ Peninsulam componunt, scilicet vtramque Castellam, Aragoniam, Catalauniam, Valentiam, Murciam, Bæticam, Lusitaniam, Galliciam, Legionem, Biscaiam, atque Nauarram ad belli subsidium mittere posse peditum ducenta & vrginti vnum millia, equites nongintos supra octuaginta nouem millia.

Carol. Scriban. institut. politic. Xpian. lib. 3. c. 42.

Quid si Regias intuearis opes? supra sex & viginti auri milliones annuè regio inferuntur ærario. Quid si Procerum diuitias, qui Regi suo, cum res postulat nihil non largiuntur eorum quæ possidet? Archiepiscoporum, Episcoporum, Ordinum militarium, Ducum, Marchionum, & Comitum per expositas Hispaniæ Prouin

Prouincias annui censûs, ad calculum redacti, excrescunt in milliones auri nouem; & trecenta & septem aureorum millia; & octingentos, atque septem aureos, ita ex præfati viri subductione constitit, quod si his adiungas reliquorum Ecclesiasticorum, aliorumque infra Comitum dignitatem constitutorum prouentus, & opes, fidem superabunt vnius Regni diuitiæ.

Si dicas vires, & opes istas Hispanici Imperij multùm decreuisse Lusitanica defectione; longo, & assiduo cum variis, & potentissimis gentibus bel lo; fatebor, feramque vt mediam præfati cumuli partem subtrahas: an non vel relicta pars altera media ingentem potentiam constituet? Plus deme, si libet; sed adde quas circumstantes, subditasque habet Hispania plurimas, potentissimasque gentes: Clarissima Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ, Maioricæ, atque Minoricæ regna. Mediolani, Burgūdiæ, Belgij, florentissimas, nobilissimasque Prouincias: totam fere Americam auriferam, odoriferam, amplissimam, omnibus vitæ commodis, & delitiis exundantem; magnam, nec ignobiliorem Asiæ, & Africæ partem; vt quaquaversum gyrum conficiat oriens, occidensque sol, nusquam non Hispanicum Imperium conspiciat per vniuersum terrarum orbem, longe, late-

latéque diffusum: arbitror nec Romani sub Iulio, nec Macedones sub Alexandro, quamvis regnandi sitientissimis Principibus, tantùm voto sunt complexi, quantùm Hispani sub Catholicis Principibus suis; brachiis, & gladio duce, & auspice Deo vero sunt assequuti: certè apud rerũ orbe toto, & cunctis retro sæculis gestarum, peritiores, testatissimũ extat, nullum vnquam post homines natos Imperium eo amplitudinis, & opulentiæ exsurrexisse quo Hispanicum deuenit. Certè cum Dionysius Halicarnasseus initio Historiarum suarum probasset Imperium Romanum fuisse omnium quæ ante extiterant amplissimum, Thomas Bosius, lib. 8. de signis Ecclesiæ ostendit Hispanicum Romano majus esse viginti & pluribus etiã partibus, scilicet tertiam ipsam orbis terrarum partem cõplecti.

Hispanorum imperandi peritia.

FOrtè erit qui hæc roboris Hispanici argumenta ceu nimis aperta ditionisque, & opulentiæ granditatem nolit diffiteri: neget tamen imperandi peritiam genti inesse, quæ stabilitatem tantæ moli polliceatur: sed fallitur valdè quisquis ille fuerit: magnis rebus nati, maximisque intenti animi, minores forcassis negligant; eisdem haud ineptiùs, si vacaret,

caret, luberetve, proſpecturi: certè vt fortitudinis eſt, tot nobiliſſimas, validiſſimaſque gentes ſubdere; non niſi eximiæ prudentiæ fuit, defecatiſſimæque ſapientiæ tam fæliciter moderari, tuerique aduerſus inuidentem tantæ gloriæ, fere totum reliquum orbem terrarum. Plura equidem rei iſtius argumenta depromere liceret, ſi vel regiminis ipſius normam penſiculatius expendere, & cum aliis conferre; vel priſca, recentiáque virorum Magnorum iudicia proferre vacaret: vnum Claudiani ſubiiciam, nitidiſſimis hiſce verſibus pro more pronunciatum.

Claud. de laudibus Serenæ, Stiliconis vxoris.

Quid dignum memorare tuis Hiſpania terris
Vox humana valet? primo leuat æquore ſolem
India: tu feſſos exacta luce jugales
Proluis, inque tuo reſpirant ſydera fluctu.
Diues equis, frugum facilis, pretioſa metallis:
Principibus facunda piis: tibi ſæcula debent
Traianum; ſeries his fontibus Ælia fluxit:
Hinc ſenior pater: hinc juuenum diademata fratrum:
Namque aliæ gentes, quas fœdere Roma recepit,
Aut armis domuit, varios raptantur in vſus
Imperij: Phariæ ſegetes, & Punica meſſis
Caſtrorum deuota cibo: dat Gallia robur
Militis: Illyricis ſudant equitibus alæ;

Sola

Sola nouum Latiis vectigal Iberia rebus
Contulit, Augustos; fruges, araria, miles
Vndique conueniunt, totoque ex orbe leguntur
Hæc generat qui cuncta regant.

In eandem sententiam scribit Latinus Pacatus in panegyrico de laudibus Theodosij, Hispani Imperatoris maximi, sanctissimi, de quo nimirum Equilinus, lib. 11. cap. 43. sub titulo *de sancto Theodosio Magno Imperatore*; hæc inter alia habet; *hic in Catalogo Sanctorum à Græcis conscribitur, & Confessoris sanctissimi nomine veneratur: omnia antiqua phana, & templa idolorum destruxit, & per totum orbem Romanum destrui mandauit, cultumque Christi, & fidei mirabiliter auxit.* Vt & hæc ingens fuerit Hispaniæ gloria, quod tantùm virum Imperio & Ecclesiæ dederit; cum itaque à Patria laudans Pacatus sic fatur: *sint vt scribitur Gargara prouentu læta tritici; Meuania memoretur armento; Campania censeatur monte Gaurano; Lydia prædicetur amne Pactolo, dum Hispaniæ vni, quidquid laudatur assurgat; hæc durissimos milites; hæc expertissimos Duces; hæc facundissimos Oratores; hæc clarissmos Vates peperit: hæc iudicum mater, hæc Principum est; hæc Traianum illum; hæc deinceps Adrianum misit Imperio; huic te debet Imperium: cedat his terris terra Cretensis Parui Iouis gloriata cunabulis, & geminis Delos raptata numinibus; & alumno Hercule*

Equilen. lib. 11.

nobiles Thebæ; fidem constare nescimus auditis, Deum dedit Hispania quem videmus hæc, & plura similia Pacatus, quibus affatim liquet quàm est Hispanis agnatum, & antiquum imperandi arte, & virtute præstare.

Hispanorum fides in Principes, in exteros benignitas, & Principum in subditos clementia.

EST & hoc Hispanici Imperij validissimum, & minimè prætereundum munimentum; Hispanorum syncera, & nunquam non laudatissima in Principes suos fides; verissimum illud est, neminem rectè imperare, nisi qui ritè paruerit Imperio: vis illa imperandi Hispanicis ingenijs insita, parendi virtutem non abstulit; vt ijs dicta existimes illa Liuij verba: *nunquam ingenium idem ad res diuersissimas, parendum, atque imperandum habilius*: vnde factum vt Romani Imperatores post conquisitam Hispaniam, tanti fecerint Hispanos milites innata fidelitate iuxta ac fortitudine commendatos, quod in custodiam præcipuarum Prouinciarum eos deputauerint. Sanè Augustus anno antè Christum natum 23. ex Hispania delegit corporis sui custodes, Calagurritanos; vt in antiquis historiis notauit Ludouicus Nonius: tantundemque Galbam postea fecisse legimus; & apud Dionem

Liuius lib. 21.

Ludou. Nonius in Hispania c. 31.

nem milites Prætorianos seueri Pertinacis Hispanos fuisse, & Italos. In Ægypto itidem custodiam Imperij Hispanorum fuisse equitum, & Lusitanorum; similiterque in Arabia notauit Ambrosius Moral. lib. 10. c. 23. ex libro cui titulus est, *notitia Prouinciarum*. Idemque de Iudæo tradit Flauius Lucius Dexter asserens centuriones illos quorũ frequens memoria, & laus est in Euangelio Hispanos fuisse: quod ipsum eruditè confirmat Franciscus Biuarius Cisterciensis in suis ad Flauij chronicon commentariis.

Morales lib. 10. cap. 23. Flauius Dexer an. Chr. 34. Biuarius cõment 3.

Adde his notissimam Hispanorum in exteros homines & Aduenas omnes humanitatem; eam commendat Diodorus in hæc verba: *cum Aduenis humani atque hospitales, aduenientes enim exteros benignè hospitio recipiunt, adeo vt æmulatione quadam inuicem pro eorum honore certent; quos Aduenæ sequuntur hos laudant, amicosque Deorum putant.* In eandem sententiam scribit Aristoteles apud Ioanem de la Puente, Hispanorum in Græcos hospites obseruantiam ita laudans: *Græci indigenæ transeuntes ab incolis obseruantur, ne quid eis mali forte accidat, quippè qui pœnas impendunt, damnumque lege sartiunt in quorum finibus datum fuerit.* Superuacaneum foret pluribus testimoniis comprobare rem cunctis sæculis & hoc etiam nostro conspectissimam, cum omnium

Diodorus lib. 6. cap. 9.

Arist. apud Ioan. de la Puente lib. 33. c. 21.

gentium

gentium Principes, & cunctorum ordinum viri per fortunæ vicissitudines è sedibus suis eiecti, ad Hispaniam, seu communem exulem patriam confugerint, & nunquam non hospitalem, piam, liberalem senserint, prædicauerintque magnum & hoc animorum illicium, ne exteri humanorum adeò hominum consortium aut imperium horreant. Adijce etiam Hispanorum Principum miram in subditos suos maxime verò exteros clementiam: si quid solito grauius turbulenti istius qui conditio exegit: totum id Hispaniores populi qui sub Castellæ corona recensentur exoluerunt: cæteri tot inter turbines altè quieuerunt, Regis dexteram protegentem, non prementem senserunt. Huius rei testem è pluribus vnum proferam, qui tamen plurium instar est ac fidem ei faciendam; Ioanem Bodinum Andegauensem Gallum, qui cum Hispanici Imperij ortum, & incrementum accuratè enarrasset, hanc Principum in populos sibi parentes clementiam, & moderationem in Imperij benè constituti, perstiturique argumentum laudat his verbis: *sic tandem Imperium partim vi, & armis, partim etiam legitima successione magnopere auctum, nunc summa cum vtriusque disciplina gloria floret; ac iam annos 852. à Pelagio regnatum est: hoc etiam gloriosius quod in Africam vsque & Americam,*

Bodinus me Thod. hist.

tam, leges & arma non sine vberrima, & quæstuosissima mercatura, Christique religionis amplificandæ studio protulerunt, ac longiùs prolaturi sunt, cum nullum sit Imperium tam latè patens ex omnibus quæ vnius dominatu reguntur in quo minus Principi tributum sit, quod Imperij benè constituti magnum est argumentum. Ita Bodinus in sua methodo Historiæ typis data Argentorati: an. 1626. *pag.* 358. vt proinde minus cuipiam mirandum videtur quod Bozius mox citandus asserit, quippè ab orbe condito nullam extitisse gentem quæ tot nationes moribus & ritibus dissimiles vnius Principis nutui obtemperantes contineret, quod Hispana continet: nec tamen continere vllâ vi, aut arte valeret, nisi præfata ipsorum, in subjectos sibi populos clementia, & benignitas perspecta exploratáque foret.

Hispanorum in Catholicam fidem amor, ejusque propagandæ studium.

MAgna quidem sunt quæ hactenus recensuimus de Hispanæ gentis fortitudine, potentia, & ingenio ad imperandum facto. Magna inquam sunt hæc; sed tamen humana, nec quibus vnis tribuere fas sit fæli-

 cita

citatem cæterorum omnium hominum fortunas adeò longè exsuperantem : diuinum aliquid quærendum , & cælitus datum in tantæ granditatis fundamentum : ne tamen aliud quæras quam Hispanæ gentis re , & nomine Catholicæ in veram fidem antiquus , & constantissimus amor : sanè probatissima est plurium scriptorum cum Flauio Lucio Dextro magnæ auctoritatis viro , sententia ; Centurionem illum qui Gentiliũ primus Christi fidem confessus est, Hispanum fuisse ; qui nimirum moriente Seruatore , magna edita voce, dixit : *verè filius Dei erat iste* : nec non & reliquos Centuriones quorum est pietas in Euangelio laudata , illum præsertim qui sanaturo seruum suum, Christo in vrbe Capharnaum mira fide, & humilitate dixit, *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum , sed tantùm dic verbo , & sanabitur puer meus.* Et illum alium Cornelium nomine, religiosum virum , ac timentem Dominum, quem Dei Angelus suo alloquio dignatus est, & à Petro Apostolorum Principe sacris aquis intinctus dicitur Actorum 1. sanè eiusdem Flauij sententia est à Biuario egregiè confirmata ad annum Christi 36. Hispaniam primam prouinciarum mundi, post Galileam, Iudæam, & Samariam

Flauius an. Christi. 34.

riam Christi fidem esse amplexam eiusque incolas ad fidem esse conuersos, gentilium omnium primitias.

Memorandum etiam est, quod idem Flauius prodit de Hispanorum pietate in Deipara colenda adhuc terras illustrante, peregrinationibusque frequentibus in Palæstinam susceptis illius visendæ causa: magnæ scilicet fælicitatis loco & meritò habebant, si capere liceret iuxta Martyris Ignatij verba; *aspectum huius, (si fas sit fari) cœlestis prodigij, & sacratissimi monstri*: Sanè primæua ista Hispanorum in sacratissimam Christi genitricem, pietas, verè Christianorum certissima thessera, nullo post sæculo, non floruit egregiè; hodieque floret, vt gentium nulli hac in re cedat. Vnde, Thom. Bozius, lib. 9. de sig. Eccl. cap. 11. postquam Gallorum insignem in Deiparam, pietatem laudasset; ita de Hispanis pronunciauerit; ***At Galliæ finitima Hispania tum multis, tum maximè Illefonso cuius extat propriùs libellus in Deiparæ laudem præcipuis Mariæ laudatoribus exultat.*** Certè quidquid fælicitatis sunt assecuti post Christum ducem, eius sanctissimæ parenti Mariæ acceptum referunt Hispani; nec scriptis tantùm, sed magnificentissimis fanis, per totum quâ patet imperium erectis testantur.

Flauius an. Chr. 35.

D. Ignat. in Epist. ad Ioan. Apostolum.

Bozius, lib. 9. de sig. Eccl. cap. 11.

 Sed

Sed neque illud prætereundum duxi, quod vel Iudæi Hiſpaniam, & præcipuè Toletanum Regnum incolentes quo tempore Hieroſolymis de Seruatoris morte agebatur, cum à Hieroſolymitanis Pontificibus, eorum aſſenſus ſuper ea re litteris poſtularetur, conſtanter eum negarunt, totoque conatu contribules illos ſuos à tam nefario auſu auertere curarunt; & cum ab iiſdem Pontificibus per alias litteras ſolicitarentur, vtſi ad eos accederent Chriſti diſcipuli, nequaquam eos admitterent, ſed tanquam illuſores, & nebulones à ſuis vrbibus arcerent; tantùm abfuit ne peſſimo conſilio annuerent, vt miſſis nunciis Euphraſio, & Indalecio, Petrum & cæteros Apoſtolos obnixè rogarent vti Iacobum ei muneri jam deſtinatum, ſtatim mitterent: miſſumque læti, alacreſque exceperunt: veram fidem ab eo expoſitam, miraculiſque probatam continuò ſunt amplexi; quæ omnia ex vetuſtiſſimis Eccleſiæ Toletanæ monumentis accuratè excerpta typis dedit laudatus ſuprà Franciſcus Biuarius: atque breuibus hiſce verbis, ſed diſertis aſſeruit Flauius: *Iudæi Hiſpani maximè Carpetani* (*id eſt Toletani*) *qui litteras Hieroſolymorum Pontificum petentium ab iis aſſenſum in mortem Chriſti, miſſis litteris, execrauerant, libentiſſime prædicationem*

Biuar. an. Chriſti 35. com. 2. Flauius an. Chriſti. 37.

nem

nem sancti Iacobi percipientes conuertuntur.

Neque verò vnis Iudæis tum incolentibus Hispaniam hic inerat erga Christum, eiusque fidem pietatis sensus: auctor enim est Iulianus Archipresbiter sancti Iustæ Alphonsi VII. Imperatoris Hispaniæ nobilis Historicus; nec non & Flauius in Chronico suo ad annum Christi 35. gentiles illos qui Ioannis 12. perhibentur post Lazari resurrectionem ad Christum per Philippum & Andream supplices accessisse, suoque aduentu non modicum gaudium Seruatori attulisse, Hispanos fuisse; rem gestam sic commemorat Ioannes; *erant autem quidam gentiles ex his qui ascenderant, vt adorarent in die festo: hi ergo accesserunt ad Philippum, & rogauerunt eum dicentes: Domine volumus Iesum videre; venit Philippus & dicit Andreæ; Andreas rursum & Philippus dixerunt Iesu: Iesus autem respondit eis dicens, venit hora, vt clarificetur filius hominis* ingens sanè, & maxima Hispanorum gloria, quod eorum accessus tanto gaudio Christum Redemptorem affecerit, tam nobile vaticinium ab eius sacratissimo ore elicuerit; fore scilicet vt inde nominis ipsius claritudo emanet: quanta autem per Hispanos ipso dante re ipsa emanauerit, mox apparebit. Porro gentiles illos Hispanos extitisse, his verbis

Ioa. 12. 20.

Iulian. in chró. suo ad an. Chri-sti 36. apud Bi-uarium supra.

tradit Iulianus. Ex Archiuo S. Iustæ Toletanæ habemus, quod multi gentiles qui venerant Hierosolymam orare ad sanctum templum erant Hispani, qui voluerunt videre, & alloqui Iesum, cupientes vt gentilibus suæ terræ prædicaret.

Pende sanè auspicatissimum Philippis nostris præsagium: primus omnium Philippus Hispanos ac Christi Domini summe cupiendam gratiam admittendos curat: inde Christus Hispanis Philippos præfecit, qui tot gentibus ad veram fidem perductis abundè expleuerunt seruatoris vaticinium, quo prædixit fore vt per Hispanorum aduentum, *clarificetur filius hominis*: nusquam enim imperium suum perduxerunt Hispani, quo Christiani nominis gloriam pariter non intulissent: nimirum Hispanis, Principibusque suis hæreditarium, & ingenitum illud est, vt non tam gentibus subiugandis inhient, quàm fide imbuendis: nec eas prius velint Hispanas, quàm senserint Christianas: vnde effectum vt tantundem Imperij Ecclesiæ conquisierint, quantum ditione ipsorum est acquisitum: tantum verò acquisitum est, quantum locorum classibus, & exercitibus suis percurrere potuerunt; percurrere autem, quantum orientis, & occidui orbis immensitas patet; & oceanus complectitur. Rem

vix sine inuidia asserendam alienis verbis, & alienigenæ proferre libet: eam sic tradit Thomas Bozius, Eugubinus, lib. 8. de signis Ecclesiæ c. 1. in hæc verba: *nulla vnquam gens ex quo Adamus habuit liberos, tot nationes moribus, ac ritibus dissimiles, ad vnius religionis cultum, vel earundem legum studium perduxit, vt Hispana: vix enim quisquam possit numerari gentium varietatem, moresque illarum prorsus inter se dissidentes quas Hispani sub Imperium suum miserũt, & ad Christi venerationem perduxerunt, vniusque Dei cultum*: Et Genebrardus postquam longum censum gentium ethnicarum per varios Hispanos Principes deuictarum, atque ad veram fidem perductarum texuisset, quas fere infinitas esse affirmat; ita demum orationem claudit; *quasi Hispanorum opus sit expugnare infideles, & paganos*. Cui nobilissimo operi, vtinam soli & semper incumbere liceat, Hispanicis armis, & spero fore vt deinceps liceat optato diu orbi Christiano fœdere cum Christianissima Gallia nunc inito.

Bozius

Genebr. an. Christi. 1484.

Hinc magnificum *gloriosi*, & magnificentiùs *Catholici* nomen Hispanis, Regibus datum ante mille annos, imperante Reccaredo, & denuo confirmatum Ferdinando V. ob egregia in Ecclesiam Catholicam, ipsius opera, latissime auctam, merita: cuius est au-

reum illud dictum rescribentis Lusitano Principi, qui Iudæorum expulsionem, ceu Regio ærario damnosam improbauerat in hæc verba; *cum opus sanè, ò Rex sit, vt aut Regiæ diuitiæ detrimenta, aut religio contagia sentiat, nusquam auri vim tanti duxerim vt aqua lance cum religione contendat: ego enim & Dei prouidentiæ, & certissimis experientiæ documentis, fidem faciens, sic existimo, non tam conductionem militum, aut exercituum robur, quàm religionis, & iuris integritatem, neruum esse præliorum.*

Ferdinãdus. 5.

O quam sunt hoc experti clarissimi, & toto orbe celeberrimi per retroacta sæcula Angliæ Reges, qui postquam à Catholica religione recesserunt, imperium quoque, & sedem lugubre, & miserando æuis omnibus fato, amiserunt? quàm experta Christianissima Gallia, quæ vbi Religione nutare sub Henrico IV. cœpit, nec tamen cadere (quæ ipsius immortalis gloria est) sustinuit, non ante Imperij decus, & stabilitatem obtinuit quàm Henricus Religioni Catholicæ nomen, & fidam dexteram dedit. Id denique experti sunt Reges nostri Catholici, multis, & miris gloriæ incrementis, quibus eos cunctis terrarum orbis, & omnium sæculorum Principibus antecellere, ob Catholicæ fidei præstantiam fuse, & eruditè confirmat Bozius lib. 8.

de

de ſignis Eccleſiæ. c. 1. eiuſdemque Imperij maximi decus & perennitatem diuinis etiam oraculis ob rem eandem compromiſſum oſtendit Franciſcus Biuarius in appendice ad Chronicon Dextri, non leuibus argumentis contendens ad Catholicos Hiſpaniæ Principes collimare illud Danielis vaticinium: *Regnum autem & poteſtas, & magnitudo Regni quæ eſt ſubter omne cælum detur populo ſanctorum altiſsimi cuius regnum ſempiternum eſt.*

Daniel. cap. 7.

Hiſpanorum Principum in Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum eximius cultus fælicitatis certiſſimum argumentum eſt.

DEuenimus tandem ad propoſitum meditationi iſti noſtræ ſcopum; opuſculi coronidem, eamque glorioſiorem Principum Hiſpanorum Coronam; conſpicuam ſcilicet ipſorum fidem, ardentiſſimumque cultum in ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum: ſanè vt ea cunctis fidelibus *in futura gloriæ pignus datur*: ita Hiſpano Auſtriacæ pietati in triumphorum, & gloriæ perennaturæ pignus conceſſum eſſe exiſtimo quod hac in re præ cæteris claruerunt: Benedictionem illam Iacobi in Aſerem collatam: *pin-*

guis eius panis & præbebit delicias Regibus: de Eucharistico pane interpretantur Rupertus, & Lyranus, siue quod ille dignior Regibus cibus sit; siue quod saginatos ipso verè Reges constituat: certè quod caducæ apud homines omni majestati stabilitatem, & firmitatem tribuat: quamobrem. D. Ignatius Martyr Eucharistiam appellauit, *medicamentum immortalitatis*, *antidotum contra mortem*; nec ante recipit Abrahamus amplissimæ, & immoriturae successionis, atque claritudinis benedictionem, quam pro eo obtulisset Sacerdos Melchisedech panis, & vini sacrificium Eucharistiæ symbolum, vt Alexandrinus Clemens, Augustinus, & Cyprianus exponunt.

Gen. 49. 20.

Ignat. Mart. in Epist ad Ephes.

Clem. Aug. Cypri. apud glos.

Notissimum est Augustam domus Austriacæ claritudinem, & Cæsarei Imperij gloriam in posteros traductam referri acceptam eximio illi Rudophi primi facinori, quo obuiam factus Sacerdoti cuidam, sacram pixidem per incommodum iter, & pluuiosum diem gestanti, vt rusticani tugurij ægrum incolam diuino epulo reficeret: ipse equo prosiliens, & substituto Sacerdoti, detecto capite, ac reuerenter subseruiens, equúmque deinceps accipere nolens, indignum ratus se homunciones illum conscen-

Lips. lib. 2. monstr. cap. 4.

ſcendere, poſtquam Numini deſeruiſſet: in pietatis mercedem vaticinium reportauit fore vt Cæſarum diadema, & magnorum Regnorum decus in eum filioſque iret: vti factum cernimus.

Viri antiquiùs Auſtriacæ pietatis in Euchariſtiam, indeque fælicitatis ſymbolum? Exodi 26. præcipit Deus Moyſi, vti menſa propoſitionis, Euchariſtiæ typus Aquilonem reſpiciat: *menſa enim ſtabit in parte Aquilonis*: Exod. 26 & cur menſa propoſitionis ad Aquilonem vergit? vtique quia ibi domus Auſtriaca: ita ſuſpicatur doctiſſimus interpres Didacus de Celada Societ. Ieſu: hinc Auſtriacæ genti imperij gloria, & gloriæ perennitas quod eam Euchariſtia indulgentius reſpiciat, quod Euchariſtam ipſa ardentius colat. Celad. de Benedicti patriar. ſ. 345.

Proh Caroli Hiſpano-Auſtriaci Imperatores glorioſi, immortalis per omnia pietatem, fælicitatem? Sileo alia eius facinora omnium ore decantata: poſtquam abdicato auguſtius, quam conquiſito Imperio, ſe in ſancti Iuſti cœnobium Cælo compoſiturus immiſit, ſingulis feriis quintis diuino miſſæ ſacrificio in Euchariſtiæ cultum ſolemniori ritu celebrato reuerenter adſtabat; verè Hiſpanus, Auſtriacus, pius, fortis, fælix Princeps. Neque verò quid à magni abaui, cætero-

terorumque auorum pietate ista recessit Austriacus Philippus IV. cuius egregiam in Eucharistiam fidem, nec spem vanam superiùs ostendimus.

Scilicet ne quid pietatis Catholicæ Hispanis deesset, quo Catholicorum nomen plenè obtinerent; hunc in Eucharistiam amorem ab Austriacis sumpserunt, imo Austriam ipsam in se transtulerunt: olim Romanus Pontifex Victor II. & Imperator Henricus III. Hispaniam pronuntiarunt à Cæsarum legibus immunem, vt habetur ex glos. distinct. 35. & etiamnum immunis existit: sed postquam Cæsares facti sunt Austriaci; sic Hispaniæ Austria repetitis vinculis coniuncta est vt tota illa quanta est, quam superiùs exposui, Hispaniæ gloriæ, & maiestas Austriaca facta sit; tota inuicem Cæsarum Austriacorum celsitudo Hispanica reddita: Vbi gentem vtramque iunctisque dextris Catholica pietate Eucharistiæ impensius litantem conspicio: vtrique perennaturam fælicitatem, & Imperij maiestatem fidenter ominor. Pende quæso quomodo Iacobus sceptri perpetuitatem Leoninæ Iudæ tribui pollicitus: *non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de famore eius &c. Ceu causam addiderit; ligans ad vineam pullum suum, &*

Gen. 49. 11.

& ad vitem, ô fili mi, asinam suam: lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum: quibus verbis indubium est Eucharistiæ Sacramentum adumbrari, adnotat etiam Hieronymus, *pro pullo in Hebræo legi; vrbem suam*: ô, sanè fælicem vrbem quæ inconcusso Numinis Eucharistici firmamento strictiori vinculo alligatur? fælicem Hispano, Austriacum Principem nostrum, qui tot inter procellas, vrbem suam, orbemque vtrumque suum firmissimæ isti anchoræ alligat: spes est non vana fore vt imperij & gloriæ æternitatem inde capiat, vti è conuerso excidij origo extitit Adamo è Paradyso ejici; *ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum*. Ita concesserit ipse bonus Deus, à quo omnis potestas, cui omnis honor, & gloria per interminata sæcula. Amen.

Hieron. in qq. Hebr.

FINIS.